
IHS


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
10 C
46

LÆVINI TORRENTII,
EPISCOPI ANTVERPIENSIS,
POEMATA SACRA.

Quorum indicem proxima
Catalog. pagina ostendet.





ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCIIII.

HYMNORVM INDEX.

AD PIVM QVINTVM PONT. MAXIMVM.



Ccipe quæ tenui ferimus, Pater optime, cultu,
Accipe, ſed læta munera noſtra manu,
Et licet Arctoo producta poëmata cælo
Obtineant Latij ius, precor, illa tui.
Nam quanquam extremis nos Gallia protulit oris
Belgica, qua magnum vergit ad Oceanum,
Attamen Auſonias quondam luſtrauimus vrbes,
Eſtque ibi pars vitæ magna peracta meæ.
Hîc Tuſcum Tiberim, & Romana palatia vidi,
Contigit & vultus ſæpe videre tuos.
Quin & honoratæ dare contigit oſcula dextræ,
Narrantem longæ quæ mihi cauſa viç.
Contigit auratis timidum procumbere templis,
Votaque ter ſanctis ſoluere Numinibus.
Nondum oblata ſacri iam tunc moderamina regni,
Debita præ cunctis ſed tibi fama fuit.
Quod tua nunc pietas toto teſtatur in orbe,
Teſtantur laudis tot monumenta tuæ.
Aſt ego quæ didici magna dum verſor in vrbe,
Et veneror primos Palladis arte viros,
Fixa ſatis firma quia mente fideliter hærent,
Hauſta velut coctis purpura velleribus,
Non Boreæ rigor, aut duri violentia cæli,
Eruere Alpinæ non potuere niues.
Quin nuper validas terrens Dux perfidus arces
Cùm raperet fœdo cuncta latrocinio,
Enſe ferox, flammiſque furens, regniſque Philippi,
Scilicet, & ſacris triſtia fata parans;
Hic ego, tam ſæui pars non ignota pericli,
Moſa tuos Eburo quâ locupletat agros,

Moxq́ue alios amnes centum, Rhenumque bicornem
Excipit, vndoſo præcipitatq́ue mari,
Et totidem paribus ſuſpendens templa columnis
Legia honoratum tollit ad aſtra caput,
Legia diuino latè celeberrima cultu,
Atque vni cedens maxima Roma tibi,
Hic ego iam cœptis dubio ſub Marte libellis,
Cæleſti metuens nil graue tutus ope,
Inſomnes iterant noctes dum claſſica, ſummam
Impoſui Phœbo non renuente manum.
Virgineos igitur partus, noctemq́ue ſalutis
Principium, caſtæ religionis opus,
Et quamuis gelido natos ſub ſidere verſus
Non veritos priſci poſcere ius Latij,
Magne Pater, cape dona lubens, votisq́ue faueto,
Præferat vt nomen pagina noſtra tuum.
Sic neque nos manibus tanget mala turba profanis,
Et magis intento qui pius ore leget.

LÆVINI TORRENTII HYMNORVM DE PARTV VIRGINIS

LIB. I.

PRocul profani sint, procul improbi,
Noudum expiati quos sceleris manent
Pœna, nec admitti sacrato
Iura sinunt numero piorum.
Quos inter altum ritè silentium
Præfatus, aptis aggredior modis
Narrare noctem qua beata
Virgo suum peperit parentem;
Qua nempe rerum conditor omnium,
Quem vasta tellus, quem vaga sidera
Coluntque collaudántque regem,
Quem Stygiæ reuerentur vmbræ,
Æternus, ingens, omnipotens Deus
Mortale corpus sumpsit, & arduos
Adire dignatus labores,
Tandem inopem rigidámque vitam
Clausit probrosa morte, nec horruit
Sæuorum acerbas carnificum manus,
Pœnásque quas iussi nocentes
Pendere pro meritis latrones.
Hæc ipse mundi principio Pater
Sic destinarat, cum vetita reus
Adamus esca, mortis, eheu,
Nexibus implicuit nepotes.
Culpam omnis illam posteritas luit,
Contagioso obnoxia crimini,
Labémque gliscentem sub ipsis
Ossibus illuuiémque cæcam
Purgare nullis sat potuit modis,

Non mille cæsis pinguibus hostiis,
Non sulfure, aut lustrata tedis,
Omnibus Oceani vel vndis,
Placare donec filius innocens
Parentis iram, admissa nocentium
Præstare, & atram auferre pestem
Ipse suo voluit cruore.
Hæc illa mundi victima quæ sacris
Promissa cælo Vatibus affore,
Agnusq; qui peccata mundi
Sustulit. Hic Erebi furentem
Latè tyrannum fregit, & impiis
Auertit orbem cultibus, horrida
De morte deuicta superbum
Conspicuus referens triumphum.
Sed hæc, frementes quæ deceant tubas,
Maiore quondam cum sonitu canam.
Nunc Lesbio percurre plectro
Virgineum mea Musa partum.

INTACTA *virgo, nec thalamum sciens*
Iugalem, & omni pura cupidine,
Diuina dum præcepta toto
Tecum animo meditaris ardens,
Formosa quantum non homini datum est,
Formosa soli sed Superûm duci,
Castusq; pridem addicta sacris,
Non choreis, nec amica ludo,
Quæ cura mentem tunc subiit tuam
Cùm missus alto nuncius æthere
Mandata supremi parentis
Attulit, & celeri per auras
Lapsu remotis in penetralibus
Astans aperta luce, nitentibus
Se effudit improuisus alis,

Sidereo radiansque vultu,
Salue (inquit) ingens gloria virginum,
Accepta cælo, plenaque munerum,
Diuina qua largo merenti
Gratia fert cumulata cornu.
Sed quid tremiscis? Parce (precor) metu,
Non vana cernens. O nimium Deo
Dilecta! Quo tu sic volente
Concipies, pariesque natum,
Dauidis alto qui solio sedens,
Regnumque regum maximus obtinens
A patre donatum, perenni
Imperio reget æquus orbem.
Queis ritè dictis credula, sed tamen
Ignara quonam res fieret modo,
De ceteris secura, solo
(Virginei quod erat pudoris)
Nati stupebas nomine, quæ virum
Nescire velles. Ille sed aureo
Arcana rerum effatus ore,
Cuncta Deum memorans potentem,
Partumque spondens æthereum, sacro
Quem feta ferres inclita Spiritu,
Cognata demum exempla promens,
Vt teneram facilemque flexit,
O quæ piorum gaudia Cælitum!
Quando ipse rector lætitiæ dedit
Ter signa, ter læuùm secundo
Intonuit placidus fragore,
Quantusque cælo præsidet, omnia
Nutu gubernans, virgineum ad larem
Descendit, vt terram perenni
Coniugio sociaret astris,
Crebris coruscans ignibus, & nouum
Ducens colorem rebus. Vt auream

Constaret ætatem refecto
Iam reditum properare mundo.

MIRATA tellus insolitum decus,
Mirata cæli sidera, nec prius
Tam commodos Neptunus Austros,
Tam placidos habuitq; fluctus.
Quin & profundis plurima Manibus
Scintilla lucis fulsit, & horridi
Funesta Laruarum tyranni
Regna nouo patuere Soli.
Stetere paulum immania sontium
Tormenta, vultúrque, & lapis, & rota,
Et lacrymis Cocytus ardens,
Et piceo Phlegethon cruore.
Cessasse fama est Eumenidum faces,
Diros & hydros. Ipsa etiam minas
Repressit vltrix, nec cruento
Tisiphone intonuit flagello.
At prisca patrum turba, perennibus
Iungenda quondam Cælicolûm choris
Si Tartara expugnans Olympi
Claustra piis reserasset Agnus,
Tam fausta volui tempora sentiens,
Insueta agebat gaudia. Quo magis
Expalluit confusus Orcus,
Horribili trepidans pauore,
Inferna ne quis regna potentior
Hostis secundo irrumperet impetu,
Ac tota confractis silentum
Agmina diffugerent catenis.

TVM verò opertos continuit diu
Natura vultus, multaq; non prius
Assuetà dum sentit, recuruo
Flexa genu, dominúmque adorans,

O (dixit)

O (dixit) ô rex, ô pater, ô Deus,
Qui cuncta condis, condita temperas,
Felixq́; sit faustumq́; tanto
Sancte quod aggrederis paratu,
Vt grande numen posteritas tuum
Vbique dignis obsequiis colat,
Surgente quâ splendescit, & quâ
Occiduo rubet aura Sole.
Tu solus expers principij, cares
Et fine, nec tu si renuas, breui
Tam pulchra momento manebit
Machina, sed subitò reuulsis
Emota tellus cardinibus ruet,
Ruentq́ue cæli lucida sidera,
Sparsusq́; turbata natabit
Oceani leuis ignis vnda.
Nec plura tantæ signa potentiæ
Quærenda, præsens quam ratio docet,
Pari arte qua construxit orbem
Artificis moderante dextra.
Quin ipsa opellam ritè vicariam
Dum præsto, & aptis tempora proferens
Digesta momentis, & vsque
Obsequio inuigilans herili,
Vt vmbra lucem, lux vice mutua
Sequatur vmbram, frigora feruidus
Depellat æstus, horrida æstum
Frigora, perpetuámne mentem
Præesse cunctis hæc series probat
In rebus? Eia te veneror pater,
Ad astra sublimi tropæo
Teq́ue tuosq́ue ferens honores.
Sed tarda prauo progenies stupens
Humana sensu, oblitaq́ue originis
Cælestis, æternaq́; flammæ,

Atque animos generantis aura,
Tollenda sursum lumina deiicit,
Depreßa inerti pondere corporis,
Brutisqúe terrenisqúe membris,
Degeneriqúe hebetata morte.
Erumpe cælo, nubila diuide,
Rigansqúe tellurem imbribus aureis
Descende, nec promissa differ
Pignora amicitiæ, nouamq́;
Recude gentem. Da sobolem pater,
Ducemq́; vitæ. Ne tuus abferox
Impune sic grassetur hostis,
Et miserum populetur orbem.
Hanc pelle pestem. Cernis vt impio
Errore peccent, & pereant, sibi
Dum quisque Numen fingit inter
Mille Deosq́;, Deasq́; mille.

Sic fata necdum finierat, nouam
Induta formam, totaq́; gestiens,
Maiore cum flagrans Olympus
Contremuit sonitu, leuisq́;
Mox flamma lustratam irradians domum,
Castamq́; molli innoxia virginem
Tactu pererrans, grande Numen
Per mediam inseruit medullam.
Fit sponsa Patris, concipit vnicum
Illæsa Natum, totaq́; Spiritu
Affusa diuinum beata
Depositum bene seruat arca.
Deum alma virgo virgo Deum suis
Altè repostum visceribus gerit,
Hærétque, miratúrque, necdum
Ipsa suos capiens honores.
Sentit, vidétque, at vix oculis fidem,

Fidémve præſtat ſenſibus, anxio
Tam certa, tam perſuaſa cælo
Gaudia dum cohibet pudore.
Secura virtus cui comes it pudor.
Quem Diua ſeruans, dum grauidæ ſubit,
Matriſq́, prægnantiſq́ nomen,
Tincta nouo inficitur rubore.
Vitámq́ quamuis duxerat integram,
Et mente pura & corpore, non tamen
Tali ipſa ſe dignans honore,
Sed lacrymis varians obortis,
An (inquit) hæc fas credere? fas quidem,
(Nam quid volenti difficile eſt Deo?)
Sed heu ſed vſque heu me vſque tardant
Et retinent moribunda membra.
Quid ſcripta vatum tradiderint ſcio
De matre Chriſti *virgine, num tamen*
Ego illa? nam quis credat vnquam?
O hominum, Superûmque rector
Ego illa tanti? Non equidem reor,
(Qui namque par eſt?) te genitor tamen
Et velle credo, & poſſe, ſitq́
Virginitas tibi noſtra curæ.
Sic Barbaros dum filius vnicus
Debellat hoſtes, mater at inſciens
Vel igne, vel credit profundis
Fluctibus, aut periiſſe ferro,
Si forte ſaluum conſpicit, horridus
Turbat recentem lætitiam tremor,
Mentémque ſic confundit omnem, vt
Veráne ſit facies, an vmbra
Deceptam inani ludat imagine
Non antè norit quàm gelidus ſtupor
Abſceſſit, & tranquilla liquit
Lumina, compoſitoſq́ ſenſus.

ERAT *vetusto stemmate nobilis*
Elisa, multo non sine Numine
Et ipsa nunc ætate grandi
Eximium paritura vatem,
Tenebricoso qui iubar aureum
Prodire mundo narret, & anteat,
Vt luteis Aurora bigis
Vecta diem rapidumque Solem.
Vox in remotis horrida rupibus
Clamantis, Omnem soluite noxiam.
Via est propinquanti paranda
Rite Deo dominoque recta.
Non ille mollis luxuria fluens,
Magnusque regum nobilium cliens,
Dites adulabundus aulas
Purpureo celebrans amictu.
Deserta lucos antra per abditos,
Saltusque vicis prætulit vrbium,
Atque omnis instrumenta luxus
Iam teneris fugiens ab annis,
Hirtaque cinctus tergoribus fera,
Crudo leuabat fonticulo sitim,
Famémque locustis, & herbis
Vilibus, aërioque melle.
At maior illo nec prius extitit,
Nec surget vnquam connubiis satus
Mortalium. Hanc grandæua laudem
Rettulit, hunc genitrix honorem.
Quam Diua, iunctam sanguine, sed magis
Virtute caram, per iuga montium
Vt nata consultura matrem
Dum properat, seriemque rerum
Narrare gestit, illa quoque obuiam
Itura sese proripuit, graui
Non ventre, non ætate segnis,

Ipsa


Ipsa prior dominam vt salutet.
Quid mirum? vbi imis visceribus latens
Tenellus infans admonuit, Dei
Gauisus aduentu, nec vltra
Vincla moramue tulit parentis.
Sed virgo matronam officij memor
Ut anteuertit, tum magis ac magis
Dat signa subsultans, anumq;
Fatidico premit acer œstro.
Túne illa sponsam quam Superûm sibi
Rex legit inter millia virginum
Me visis? (inquit) túne nostri
Grande decus colamenq; sexus
Me visis? O hunc ô niueum diem!
O te beatam prole puerperam,
Quæ rite placato parente
Nos Stygiis rapiet tenebris,
Reddetque cælo! Sic ait, & simul
Optata sese effudit in oscula.
Sed virgo, vti consuerat, vnum
Vsque Deum celebrans, O (inquit)
Te mente tota te veneror Pater,
Magnúmque magnis laudibus effero,
Gauisa rerum in te mearum
Ut positam memini salutem.
Nam grata nostra est mens humilis tibi,
Est grata promptis obsequiis fides.
Hinc me beatam omnis per omnes
Posteritas memorabit annos.
Hæc mi ille dona ingentia contulit
Suprema cuius nota potentia est,
Sanctúmque non vis vlla nomen,
Nulla dehinc abolebit ætas.
Quem quisquis vt par est metuens colit,
Rebúsque duris inuocat, hunc pio,


Natósque,

Natoq́; natorúmque seros
Proteget auxilio nepotes.
O ille quantis viribus eminet,
Victis triumphans fortiter hostibus!
Quos Numinis non vlla tangit
Cura, suis opibus superbos,
Hos quo sedebant de solio graui
Deiecit ira, dans humili locum,
Qui nil sibi transscribat, vni
Cuncta Deo tribuens potenti.
Ille affluenti commoda diuiti
Tollens egenum diuitiis beat,
Vicésque commutans, & æqua
Munera dans, adimensque dextra.
Nostræ benignus nunc igitur memor
Adest salutis, præsidium ferens,
Vltróque complectens paterno
Isacidas pueros amore,
Quæqúe Abrahamo pollicitus patri,
Quæq́; Abrahami fœdera posteris,
En seruat, infringi nec vllo
Instabilis patietur æuo.
Hos inter hymnos hospitium subit,
Et tecta tanti conscia gaudij.
Fit plausus, ac percussa latè
Saxa sonant, viridésque siluæ.

Hic grata Diuam dum retinet mora,
Longæuus hospes omnia digerens,
Ac mente vestigans sagaci,
Tam subita nouitate rerum
Turbatus hærens obstupuit, neque
Sibi ipse fidit. Sed grauis & pius
Arcana priscorum Sacerdos
Scripta legens meditánsque Vatum,

Vt dicta factis consona, nec leues
Labare sensus comperit, haud potis
Celare quantam hausisset imo
Pectore lætitiam, serenos
Præferre vultus, verbaq; cum forent
Adempta, crebris singula nutibus
Signare, testarique certam
Virginis ex vtero salutem.
Queis illa tantis indiciis palam
Negare deprensa haud potuit fidem,
Missoq; paulatim rubore
Seq;, suosq; fateri honores
Cœpit, recepti conscia Numinis.
Quo plena, (talem quod decuit) nihil
Vel vile, vel mortale, nilq;
Aut humile, aut referens caducum,
Dignamq; cælo sese habitu gerens,
Dignamq; vultu, & moribus aureis,
Ad patrios sisti Penates
Optat, eamq; videre cellam
Quæ nuper almum percita nuncium
Audisset, at mox cetera cerneret
Euenta, felicesq; tandem
Exciperet memoranda partus.
Ne cella id ambi. Sat tibi iam datum,
Satis beata es, nunc Dominam foue.
Maiore nam censeri honore
Fixa Dei prohibet voluntas.





ET iam nitentem circumagens globum
Ter noctilucis Cynthia cornibus
Lustrarat orbem, ter reductis
Nubila miscuerat tenebris,
Cùm Diua grates pro meritis agens,
Dictoq; mæstis hospitibus vale,

Plorantium

Plorantium agrè auulsa collo,
Vix pedibus tetigisse limen
Fertur, sonantes cum subitò explicans
Insignis alas militiæ cohors
Cælestis accinctam citato
Leniter abripuit volatu,
Latisq́ pellens aëra plausibus,
Vt visa nulli, audita sit omnibus,
Per saxa transuersosq́ colles
In medio statuit cubili.
Sic cùm secundis lintea nauita
Dant plena ventis, & placidus fauet
A puppe Neptunus, volatq́
Præcipiti cita nauis æstu,
Pergit quiescens, nec celeris videt
Quæ causa motus vector. At horridi
Stridore decurrunt acuto,
Et Pelago dominantur Euri.

HÆC inter illi mollia turgidi
Creuere ventris pondera. Nec virum,
Desponsa cui de more gentis,
Id latuit. Sed ènim latenter
Pactas volentem linquere nuptias
Nocturna terrent visa. Fit interim
Custosq́ curatorq́, veri
Sed titulum retinet mariti,
Castusq́ castæ coniugis inclitas
Æquare laudes nititur æmula
Virtute. Nunc collata vtrique
Prima pudicitiæ corona,
Regnantq́ cælo, atque agmina virginum
Ducunt ouantes. Virginitas enim
Quæ nupta, quæ fecunda partu,
Ter geminos merita est honores.

At tu vetustas quid memoras Iouem?
Quem turpi adactum atraq; libidine
Non proprias fœdasse natas,
Non thalamum puduit sororis.
Fit imber, aurum, flamma, fit omnia
Nefarijs dum seruit amoribus,
Vesana cui tu sceptra cæli,
Regnaq; das hominum, & Deorum.
Sed ille pœnas nunc luit horrido
Detrusus Orco, nos neque fumeum
Fulmen, neq; imbecilla tela,
Nos alium colimus Tonantem.

HYMNORVM
DE PARTV VIRGINIS
LIBER II.



AIORA sed iam molior arduus.
Miracla crescunt, crescite carmina.
Prosit sub humana latentem
Ritè Deum celebrasse forma.
Nulli reperta fert animus via
Cælo Latinam tollere barbiton,
Non antè tam fidenter ausam
Æthereas penetrare ad oras,
Liménque Olympi tangere, dum fugit
Horrétque tenuis grandia, nec putat
Fas esse sermones Deorum, &
Facta leui tenuare plectro.
Sed virgo quid non efficiet Dei
Dignata partu? Tu modo tu faue
Regina, & aspirate nostris
Túque puérque tuus Camœnis.

PACEM profundo latus in otio
Seruabat orbis, saua nec impio
Ad bella compulsas furore
Mars odijs acuebat vrbes,
Neque execranda impune licentia
Vexabat agros miles, & improbus
Totius ab verrebat anni
Flentibus agricolis laborem.
Pacata tellus ire volentibus,
Pacata stabant æquora, nec timor
Ne tollerent sperata nautis
Lucra Cilix, rapidusq; Isaurus.
Non vlla saclis visa prioribus
Tam certa rebus compositis quies,
Cum Roma iam victrix per omnem
Iura daret veneranda mundum.
At pacis auctor Cæsar, & imperi
Custos, & vrbis Romuleæ pater,
Tam ciuium fidens amore,
Quàm validis animosus armis,
(Cæsar vetusto clarus ab Ilio
Augustus, ingens Æneadûm decus,
Quo Romuli non iustiorem
Terra tulit, neque fortiorem)
Ferro subactos ducere legibus,
Suamq; victor nosse potentiam
Cum vellet, & tranquilla ubiq;
Omnia, nec reperiret hostem,
Ianum Quirini nil metuens patrum
De more clausit, bellaq; ibi horrida,
Terrorq;, constrictiq; nodis
Et Furor & Rabies ahenis.

EXIN corusco Sol melius nitens
Fulgore luces protulit aureas,

Ac tanta maturos vbique
Fertilitas decorabat agros,
Vt fausta tellus faustaq; sidera
Communem ad vsum & publica gaudia
Felicibus possent videri
Auspiciis iniisse fœdus
Quod longa nunquam dissolüat dies,
Quin temperatis omnia prodeant,
Crescantq; momentis, nec atræ
Aut pluuiæ, aut metuantur auræ.
Tunc flauus altas quà Tiberis lauit
Villas, superbo flumine nobilis
Etruriæ scindens opima,
Et Latij dominantis arua,
Stratus sub alta Tityrus ilice,
Notisque pascens pinguia collibus
Armenta, dum ludos capellæ,
Et saturi meditantur agni,
Non te Menalca, non Corydon tuos
(Vt nuper) ignes, non nemorum comas,
Aut garrulis arbusta cannis,
Aut humiles cecinit myricas;
Cumæa sed iam carmina prosperis
Impleta fatis, iam noua sæcula,
Iam Virginem, missamq; ab alto
Progeniem properare Olympo,
Quæ patriis virtutibus erigat,
Longoq; mundum liberet ab metu,
Auriq; contingat nitore
Regna truci temerata ferro.
His ille magno non minor Orpheo
Ducebat ipsas carminibus feras.
Te Tityre & valles opacæ, &
Aërij stupuere colles.

IAMQVE *irretortos cælo oculos ferens*

Arrectus orbis magnum aliquid sibi
Sperabat, ingentemq; toto
Pectore lætitiam fouebat,
Cum lata lex à Principe Cæsare,
Qua iussit omnes edere nomina,
Viresq; fortunæ, modumq;
Quemque suæ studiumq; vitæ.
Lex vna latè gentibus imperat
Quâ læta tendunt fertilis Africæ,
Quâ fortis Europæ, beata
Quâq; Asiæ locupletis arua.
Censentur omnes Romulidûm quibus
Spectata virtus, fœdera siue opus
Seruare amicis, seu rebelles
Indomito superare ferro.
At verò Idumen, notaq; pascua
Phœnicum amœni quâ celebres rigant
Iordanis atque Euphratis vndæ,
Quâ celeri ruit amne Orontes,
Ornantq; opaco vertice nobiles
Palmeta siluas, grataq; balsama,
Myrrhamq;, fragrantemq; nardum
Diuitibus stupet hospes hortis,
Gens cara cælo, nec prius exteris
Assueta sceptris, tunc sceleris rea
Ferebat Herodis superbi
Imperium, dominæq; Romæ.
Sed sacra priscis tradita patribus,
Legésque, moresq; Isacidæ suos,
Tribusq;, cognatasque stirpes,
Et solitos tenuere ritus.

GRANDÆVVS *ergo virginis integræ*
Custos (fabrilem quanquam operam locans,
Tectoq; Nazaræ sub arcto

Exiguos

Exiguos celebrans Penates.
Non indecora, non humili tamen
De gente, magnum stemmate nobili
Qui ferre Dauiden, & altos
Posset auos, atauósque reges)
Sedem vetustæ iussus originis
Adire Bethlen, non iter, ac suos
Respexit annos, quantum amata
Est vterum veritus puellæ,
Cui nona abiret Luna, dolentibus
Auferre pondus sueta puerperis,
Quiete traducenda molli,
Et variis inimica curis.
Sed diua sacris debita partubus
Bethlæa noscens mœnia, sic virum
Compellat atque hortatur vltrò,
Macte animo. neque enim suorum
Curam benignus deposuit Deus,
Aut ponet vnquam. Tu modo tu bone
Confide. Quo nos cunque cæli
Iussa vocant, pariter sequendum est.
Sic illa lentum prouocat, & prius
Accincta pergit. Sed peditem senex
Non passus, vt pandum repente
Strauerat accelerans asellum,
Aptabat arctis sarcinulis heram,
Notúmque nota quadrupedem manu
Ducens, & auritum subinde
Voce ciens comitem laboris,
Vorabat omnem nil titubans viam,
Regnata priscis arua parentibus
Dum calcat, & sperata firmat
Progenies animi vigorem.



Sol prona condens lumina feruidis

Vrgebat ardens Oceanum rotis,
Cæloque sublustri, venusto
Hesperus adueniebat astro,
Ingressus vrbem cum senior, suis
Sperans quietem instare laboribus,
Maiore se inuolui repente
Comperit implicitum tumultu.
Vt namque villis diuitibus solent
Armenta læto turgida pabulo
Redire sub noctem petulco
Agmine, vestibulumq; rauco
Implere mugitu, hinc stabulis pedem
Latura multo proruere impetu,
Vt dira si pestis supremum,
Aut scabies sequeretur atra;
Sic turba crebro plurima confluens
Accita conuentu oppidulum vagis
Rumoribus commorat omne,
Dum vario properant labore,
Cautusq; rebus quisque studet suis,
Ne tecta desint, luceat vt focus,
Sit lectus, & quæcunque fessus
Nocte cupit gelida viator.

STABAT *caducæ pars bona villulæ*
Neglecta, densis horrida vepribus,
Forensibusq; amota turbis,
Nec strepitu resonans molesto,
Olim colonis commoda, dum suo
Ornata cultu, nunc pecori vago
Pergrata dum desæuit Auster,
Dum pluuiæ, rapidiq; Soles.
Huc ille serus deuenit, ac Deo
Ducente desertum hospitium subit,
Ponensque clitellas, & vna

Quadrupedem religans sub vmbra,
Lustrabat omnem sollicitus locum.
Dein verò apertis sarcinulis simul
Ac cuncta quæ poscebat vsus
Prouidus explicuisset heros,
Nondum acquiesset, ni dominam prius
Vidisset apto compositam toro,
Quem sedulus substrarat ipse
Gramineis tumidum maniplis.
Nec longa fessum post tenuit mora,
Vt fortuito liberior semel
Proiecta distendit grabato
Membra, graui superata somno.

AT *noctis alto Diua silentio*
Gauisa, quanto maior erat quies,
Non sibilo ludentis auræ,
Non agitata leui susurro.
Tanto acriori sollicitudine
Dum mente voluens omnia cogitat
Vt cœpta, quò progressa, qualem
Denique res habitura finem,
Mirisque pascit pectora gaudiis,
(Vt blanda molli si puerum sinu
Ad nota reptantem foueret
Vbera, dulce vel appetenti
Matri ferentem suauiolum suæ,
Quod ipsa multis prodiga millibus
Persoluat, effusumq́ collo
Lacteolis premat in mamillis)
En tota Cælestum agmina plurimis
Distincta turmis, quæ vario canant
Pæana concentu, sacrosq́
Mirificè venerentur ortus,
Summis inhærent culminibus domus,

Noctemq́; vincunt lumine, non secus
Ac fulgure illustrantur vmbræ
Cum volucri micat æthra flamma.
Queîs mota virgo prosiliit, neque
Fas esse ducens mollia si cubans
Per strata tot miracla rerum
Non alacri tueatur ore,
Stans irreflexa sidera suspicit
Ceruice, iam tum Cælicolûm choris
Assueta, sed maiore nunquam
Viderat aut numero, aut triumpho
Ab vsque Olympi tendere vertice
Felicis ad fastigia villulæ,
Gemmis refulgentes, & ostro,
Vt vario nitet Iris arcu.
Ergo alta cæli mente perambulans
Conuexa, non te flebilibus vocat
Lucina lamentis, nec vllo
Anxia concutitur pauore,
Sed te vsque adorans, te memorans pater,
En (inquit) ô rex maxime Cælitum
En illi⁹ momenta noctis
Perspicuis reuoluta signis
Qua poscor ingens depositum. Tuis
Tu rite deuotam obsequijs rege.
Res nulla tam perplexa, nullo
Quin superes genitor labore.

SIC *illa. Sed me quis rapuit furor?*
Audire dulces fas mihi fistulas,
Vocesq́; permixtas acuto
Cum citharis resonare cantu,
Audire puro læta tonitrua
Mugire cœlo, cernere sidera
Emota, subsultare festas

Ad Choreas praeunte Luna,
Cum virgo tantis excita gaudiis,
Multóque feruens Numine, iam velut
Mortalibus defecta membris,
Corporeosq; hebetata sensus,
Fit mater. At dum viscera permanent
Immota, matrem se fieri neget,
Prodisse ni deprendat alui
Deposito puerum tumore.
Res mira dictu, virgo puerpera
Intacta quem conceperat, edidit
Illaesa, caelestemq; in auras
Protulit inuiolata partum.
Ac pura quondam vt per specularia
Sol lumen altis porticibus suum
Diffundit, at non illa nimbis
Peruia stant, gelidisq; ventis;
Sic ille caeco iustitiae iubar
Venturus orbi, & Tartareas procul
Acturus aeternùm tenebras,
Virgineos radians per artus,
Non vsitatis concipitur modis,
Non antè noto nascitur ordine.
Nil vile, nil vulgare, nullus
Hic lacrymis locus, aut dolori.

RISERE *blando protinus omnia*
Perfusa vultu, nudáq; iam diu
Tellus & informis, Decembri
Clausa gelu, mediaq; bruma,
Tum laxa pandens purpúreos sinus
Impleuit omnem deliciis locum,
Spargens odorato repente
Arua croco, viridiq; acantho.
Quin & locorum quae spatiis erant

 Diuersa

Diuersa, & anni temporibus simul
Profudit, æterna relinquens
Digna Deo monumenta laudis.
Neque ipsa dudum quæ fuerat manet
Spelunca, dumis obsita, nil minus
Quàm commoda humanos ad vsus,
Vix pecudi satis apta sete,
Sed tota cælestûm alituum choris
Lustrata cælum prouocat, & Deum
Sublimis ostentans alumnum,
Ætherea caput æquat aulæ.

NON *hîc furentem falcigerum leges*
Senem recentum mollia viscera
Hausisse natorum cruentis
Dentibus horribiliq́ue mala,
Matremq́, magno sollicitam metu
Celasse partus montibus auiis,
Ac lacte nutritos caprino
Quò rabido melior parente
Seruaret, admoto antra satellite
Cinxisse, rauco qui obstreperent choro,
Vagitus vt ne furta sæui
Proderet auriculis tyranni.
Hinc Creta mendax imperium Iouis
Exorsa cælum crimine polluat,
Veracior nec Delos, olim
Æquoreas fluitans per vndas,
Latoa iactet pignora, non leui
Producta partu, dum nimium furens
In pellicem matrona Iuno,
Atque odiis agitata iniquis,
Nec passa terra, nec miseram est mari
Matura ventris ponere pondera.
Inuenta sed tandem illa magni

Quæ sobolem exciperet Tonantis.
...id matris expers Cecropidûm Dea,
Bimatris aut cunabula Liberi,
...t Iuppiter prægnans acerbo
Verticis, aut femoris dolore?
...n quæ remotis turpiter arbitris
Nocturna cernunt Persephones sacra,
...omenta dum fœdæ parantur
Nequitiæ stimulante luxu,
...ftrisq; cælum moribus improbi
Metimur, omnis quod caput est mali,
...um prorsus extincto pudore
...onimus & vitiis honorem.
...ancta sanè augustaq; Numina,
Si recta cælo per scelus it via!
Res mira, sed vulgata Graiis,
Dum madidis Helicone pennis
...emq; natosq; ad Superos vehunt.
Sed ebrioso mox titubant pede,
...eseq;, vectoresq; mergunt
In medium penitus profundum.

...N ista castæ conueniunt lyræ.
Abite nugæ, tuq; adeo potens
Iudæa tu succede nostris
Auspicio meliore chartis.
...n tu beatæ gentis originem
Ad vana confers somnia, quæ sibi
Narrata si credat, stuporem
Ingenuo metuas alumno.
...cùm ille rerum maximus arbiter
Illustre quondam mente agitans opus
Hunc vniuersum voce sola
E nihilo fabricabat orbem,
...c prima semoto exiliens freto,

Mirata

Mirata limo es compositum tuo
Mortalium qui primus aui
Æthercam pater hausit auram.
Circum omne stabat quadrupedum genus,
Nec sæuiebant in pecudes feræ,
Tutumq́; permistæ volucres
Aëra personuere cantu.
Dein sola veri conscia Numinis,
Id consecrasti quo decuit modo,
Et fictiles exosa Diuos,
Et vetitis inimica sacris.
Hinc tanta cælo munera, quæ tibi
Collata magnum conciliant decus
Quacunque tellurem refusa
Oceanus vagus ambit vnda.
Quid facta Regum, quid memorem Ducum,
Vatumq́;? Queîs se conscius efferens
Iordanis, affectansq́; palmam,
Haud alio superetur amne.
Iordanis, vdum qui tumidus pedem
Repressit, & se commodus obtulit,
Vt tota siccato repente
Agmina traiicerentur alueo.
Hoc antè Rubro contigerat mari,
Cum refluo se gurgite diuidens,
Vtrimque, sustollénsque in auras
Marmoreus velut vnda murus,
Immota stabat dum medio Deus
Transmisit acres Isacidas vado
Cum liberísque, vxoribúsque,
Et Phariy spoliis Canopi.
Iunctis sequutus curribus atque equis
Tyrannus amens, sed rediens mare
Ingentibus currúsque, equósque
Obruit, atque homines procellis.

MAGNIS abundas inclita laudibus
Iudæa, sed nil tam celebrat tuum
Insigne vt vrbs Bethlæa nomen,
Parua loco, neque diues agris,
nota alumno, cuius originem
Roma illa terrarum imperio potens
Mirata, regni exuta cultus,
Supplicibusq; adoperta vittis,
cedat vltro, & munera deferens,
Sacroq; figens oscula limini,
Procumbat, agnoscens auitis
Clarius esse aliquid tropæis.
In illa fastos tunc referat suos
Ad furta duri Martis & Iliæ,
Lupamq; nutricem, gemello
Vbera quæ dederit Quirino.
Iste quanto nobilior puer
Hebræus alto conspicitur polo!
Tu Cæsar astanti Sibyllæ
Crede, Deum, dominumq; adorans,
Ac falsa præfer, quæ puer hic nigro
Damnauit Orco, Numina. Pythium
I consule, hæc responsa reddet
Ipse cauis vlulans sub antris.
Bethlæa tellus, Cælicolûm domus,
Ocelle mundi, nulla licet tuas
Æquare possint verba laudes,
Non ideo tamen indecoro
præteribit Musa silentio,
Dictura magna non sine gloria
Cunásque, vagitúmque, & omnem
Hinc reliqui seriem triumphi.

HYM-

HYMNORVM
DE PARTV VIRGINIS.
LIB. III.



Æc inter alto iam senior simul
Ac membra somno excusserat, vt nouo
Splendore sic accensa latè
Omnia, lætitiamq́; cæli
Aspexit, ingenti attonitus metu
Prorepit, & iam nunc propior Deum
Cernens sub infantis iacentem
Effigie, geminisq́; flammas
Vibrantem ocellis sideribus pares,
Matrémque (nota maior imagine
Vt tota fulgebat, solutis
Ambrosiam redolens capillis)
Elinguis, amens, ac gelidos solo
Affixus artus, obriguit, neque
Se sensit. At mox inde flatu
Aetherea recreatus aura,
Illóque flagrans pectora Spiritu
Qui cæca mentis nubila discutit,
Terram osculans, tollénsque palmas,
Et genua (ô pietas!) volutans,
Sic fatur; Ecquid sancte puer tuos
Spectamus ortus? Si puerum tamen
Vocare fas est qui perennis
Cum genitore manens perenni,
Celóque regnas, conditor omnium,
Idémque terris nasceris, & Deus
Humana circumferre membra,
Teq́; oculis aperire nostris
Gaudes, vt olim pollicitus fore
Verbisq́; signisq́; omnipotens Pater

ælestis, insignem vetusto
um sobolem dedit Abrahamo.
unde læta fusa propagine,
elloq; & armis, atque opibus potens,
eliciter non antè summo
rescere desineret vigore,
m Marte victis fortiter hostibus
atè tenerent imperio loca
uæ roscido fecunda melle
ffluerent, niueoq; lacte.
c nasciturам progeniem, inclita
irtute totum quæ pariter sibi
eruaret addictum, nouisq;
Muneribus recrearet orbem.
Abrahamo pollicitus Pater,
ic Isaaco. Quinetiam nepos
is sena natorum relinquens
ignora, quos populi tributim
nis secuta est posteritas duces,
xtrema longæ tempora cum sibi
nstare sentiret senectæ,
ygnus uti veniente leto
tura stirpi fata canens suæ,
udamq; cernens, cuius ab inclito
Gens tota se gaudet vocari
Nomine; Te generose (dixit)
missa fratrum progenies colet,
Tuq; hostium ceruicibus imminens
Bellator innectes catenam
Magnanimo similis leoni,
i impastus alto monte perambulans,
rædamq; opimam prospiciens, leuem
eu capream, seu forte densis
Solivagum arboribus iuuencum,
urrit acri concitus impetu,

Ac dente victor sanguineo furit,
Heretq́ dum feruor, fameq́ ac
Bile tumens requiescat ira.
Tum verò apertis accubat in iugis
Gaudens, comantesq́ excutiens toros,
Stat patrio fidens vigore,
Conscia nil metuitq́ virtus.
Non ergo Iudæ deficiet genus,
Nec sceptra Iudæ debita posteris
Vis vlla transmutabit antè
Quàm celebri veniet triumpho
Rex ille regum summus, & impleat
Sperata cunctis gaudia gentibus,
Magnumq́ felici gubernet
Imperio sine fine mundum.
Iam stirpe eadem quid geniti sacra
Dauidis addam carmina? quid noua
Promissa? quid cuncti quod vno
Ore simul cecinere vates,
Dauidis æternam hanc fore gloriam?
Ad nostra si quis denique respicit
Connubia, (hic vos istius pars
Attigerit quotacunque partus)
Dauidis alti progenies sumus,
Dauidis vrbem & mœnia cernimus.
Tu vota, tu spes alme nostras
Suscipe, nec dubios relinque.

His ille dictis tunc pueri sacros
Excepit ortus. Te quoque virginum
Regina diuinis honorans
Laudibus, An satis (inquit) vlla
Te lingua dignis concelebret modis?
Quæ sola virgo post vterum manens
Communis auctorem salutis,

Æthereo

Æthereo genitum parente,
is dedisti rebus, & aurea
Mundo reduxti sæcula, quæ neque
errugine obscurentur atra,
Nec vitio alterius metalli.
ipse rerum nescius, & malè
ersuasus. Eheu, & memini, & pudet.
ali sed interpres timorem
xcutiens, animumq; reddens,
lemq; aperto lumine dissipans,
Quæ facta iam nunc cernimus omnia
radixit, attollens Olympo
eque tuumque beata partum.
e illa prisca quam toties palam
cempla produnt historiæ? Sacer
ons clausus obseptis in hortis,
ec domino nisi notus vni?
ore vellus irriguo madens,
rente circum gramine languido?
u virga bissenis negato
rmine quæ, tumuitq; flore?
orta primi conscia luminis,
tente nullis principibus via,
li sed ex auo piorum
ruia Cælituum parenti?
lle quondam qui medio rubus
rdebat incombustus ab ignibus,
rante per ramos amica,
on auida populante flamma?
rre Mose, (ingentia conspicis
iracla) liber seruitio graui
ccurre, sed contentus vmbra.
c facies mihi vera fulget.
racinentem Cælicolæ senem
Magnis sequuntur plausibus, hos Deo

C Gratissi-

Grátissimos ter voce molli,
Ter cithara modulantur hymnos.

IAMQVE *ille vates qui stimulat furor,*
Altámque tardo corpore semouet
Mentem, nec immergi profundis
Vsque animum patitur tenebris,
Cessare paulatim, & miseris locum
Præbere curis cetera nam velut
Oblitus, opportuna cunis
Haud aliter properabat Heros
Quàm plebe quiuis de media pater,
Res arcta frugi quem facit, ac monet
Vt coniugem, paruosq́ natos
Assiduo toleret labore.
Ergo ocius se prorìpit, & moram
Accusat vltro. Tum silicem terens,
Susceperat quem fomite ignem
Exigua moderans lucerna,
Cautáque seruans sollicitus manu,
Vbique præsto est, seu puero queat
Seruire, seu matri, nec vllum
Sentit amans onus, aut laborem.
O expetendum seruitij genus,
Quo nulla regum vita beatior!
Euoluat omnes Roma fastos,
Et titulos memoret superbos
Nil tale. O ingens Isacidûm decus,
Dicere nostris tu quoque versibus.
Tu virginis coniux, tuique
Tu domini pater atque custos.

AT *Diua tandem se quoque colligens,*
Fixámq́ cælo mentem animi vocans
In terram, & ad materna flectens

Officia, eximiumq; amorem
ccensa toto pectore praeferens,
Nudo iacentem sic puerum solo
Vt vidit, audiuitq; fletus,
Et tremulos resonare questus;
rbata paulum, nec lacrymas tenens,
At certa partus aetherei manens,
Vt filium nunc tollit antè
Cuius erat venerata numen,
roque praestans obsequium simul,
Et mente prompta, & corpore, ne cui
Non tam puer prodisse partu,
Quàm pueri videatur umbra.
membra nempe humana sibi induit
Humana egebat sollicitudine.
Hinc creuit, assuetisq; sensim
Principiis adoleuit aetas,
mq; coeli qui sonitu quatit
Templa inuolutus fasciolis Deus
Blanditur arridetq; matri,
Lacteolis inhians mamillis,
as illa gaudens porrigit, & loco
Mercedis ardens suauiolum rapit,
Haretq;, nec se vertit vsquam,
ed niueo impositum lacerto,
cosq; ducentem ambrosios fouens,
Dum fixa contemplatur, & ebrios
ntendit vsque & vsque ocellos,
psa suos acuens amores,
uanta sentit pectore gaudia,
Quantisque felix perfruitur bonis,
Non osculis, non illa blandis
Vocibus impositura finem!

STARE *lucem sed monuit pater,*

Quando astra toto defluerent polo,
Ac tertium iam voce clara
Excubitor cecinisset ales.
Mox inde cunas protulit, vllius
Haud expolitas artificis manu,
Auróue constratas, & ostro,
Aut Arabum nitidas lapillis;
Sed ipse rebus cautus in asperis,
Disiecta quæ conspexerat horrido
Fragmenta de præsepi ad istos
Sollicitè repararat vsus.
Implensque fœno, & palliolo tegens,
Opes quidem omnes explicuit suas,
Sed gratior quàm dona virtus,
Atque animus superis benignus.
Namque ille nostræ nil opis indiget
Qui nostra nobis contulit omnia.
Hunc, mens tibi si pura, quamuis
Exiguo pia dextra cultu
Placabit offensum, & facilem dabit,
Seu tura castis admoueas focis,
Matura seu flauentis agri
Munera, vel viridantis horti.
Quod si madebunt lacrymulis genæ,
Imoque duces pectore spiritum,
Nil blandius. Iam crede factum
Quod precibus cupies honestis.
Quid ergo opimas cædere victimas,
Aut quid superbis profuerit Deum
Ambire votis? quid pacisci,
Vt vetitas liceat per artes
Augere censum, crescere honoribus,
Patrare turpi stupra libidine?
(Nam sæpe clam quod nuncuparis
Voce palam pudeat fateri)

Vt

nempe votis intereas tuis,
Addens priori flagitium nouum,
Aras quòd incesta profanans
Attigeris scelerate dextra.
ein hisce cunis hoc Dominum modo
Cum cernis, atram tolle cupidinem,
Abrumpe luxum, vince atrocem,
Vince animum monitus superbum.
am si ille nasci sic voluit sua
Qui cuncta condit, cuncta regit manu;
Si pauperum sortem parentum
Pauperis & tuguri latebras,
odumq́, vita tristis & aspera,
Rex ipse, regum prætulit omnium
Gasisq́, fortunisque, & omnem
Hac vetuit ratione fastum;
os, orta putri progenies luto,
Tot mortis obiectis insidiis, breui
Tam multa quid luctamur æuo;
Spesq́, animo capiente inanes
tamur umbram & somnia, nec secus
Ah imperiti quàm pueri solent
Vel poma, vel mellita propter
Crusta graui stomachamur ira?
nquenda tellus. Sidera suspice,
Attolle mentem. Quæ tenet hic mora?
En natus est dux ille, magnum
Qui meritis referans Olympum
curret vltrò. Tu modo tu sequens
Confide, nil te terreat arduum.
Nostra induit qui membra nostro
Ipse volens aderit labori.
inuolutum fasciolis Deum.
Accurre cunis. Cernis vt omnia
Humana? Nil hic triste, nil quod

 Non

Non dominum tibi spondet æquum.
Noti parentes, nota humilis domus,
Non illa sæuis mancipiis strepens,
Non clausa, nec munita ferro,
Non vigili resonans Molosso.
Accurre. Quem non talia pertrahant
Spectacla? Gressus agglomerant simul
Bos tardus, atque hoc ipso asellus
Tardior, ut dominum potentem
Submisso adorent poplite, non leui
Magnam merendo munere gratiam,
Oris quod afflatu tenellis
Duram hiemem pepulere membris.
Unde iste vobis ô placidum pecus
Insuetus ardor? Illius illius
Qui cuncta producit vicissim
Cuncta simul venerantur ortus.

HINC *bruma vernans floribus, hinc nouum*
Accessit aureis sideribus decus,
Non illud infelix malorum
Augurium populis, Cometes,
Sed quæ salutis nuncia plurimo
Fulgeret igni stella, nitentior
Astro Dionæo, neque vllo
Fixa loco, sed abusque Eoo
Progressa tendens litore, non iubar
Vincente Phœbi lampade, non suum
Quin seruet inconcussa cursum
Vi rapido impediente cælo.
Bethleæ recto mœnia tramite
Adibat, exortum hic populis ducem,
Vitæq; cælestis magistrum
Indicio retegens aperto.
Qui castra tanto cum strepitu mouent,

Qui signa reges? En litus sonant,
Tubaq, sublatique in auras
Nobilium fremitus equorum.
ista cuiquam perniciem ferunt,
(Pax certa terras, certa tenet quies)
Nec bella, sed lati parantur
Marte procul rabido triumphi.
lete Eoi gloria nominis,
aluete sacli lumina. non enim
Ops sceptra, regalesq cultus
ic decorant celebrantq fama,
vestra mundo quòd pietas Deum
Venisse certa nos docuit fide,
In lucidum vt pracedit astrum.
Auspiciis igitur secundis
Afferte regi munera regibus
Qui regna donat, regibus imperat,
Parcasque, Fortunasq certa
Vt voluit moderans habena.

c sola magnorum atria principum,
Aut nota calo est purpura, quin magis
Mapalia, vmbrosaq valles,
Et nitidi placuere fontes.
n hic superbis in foribus noua
pectantur artes, non Phrygius lapis,
Nec culta regali renidet
nterior domus apparatu,
ut structa mensis fercula citreis
ulgore lassam sollicitant famem,
Aut Chia gemmato retusam
Vina sitim exacuunt in auro,
nec veneno tollitur innocens
Hospes, nec astu decipitur cliens.
Non stupra, non vesana regnat

 Ambitio,

Ambitio, genitrix malorum.
Assueta duris vita laboribus
Nullum relinquit flagitio locum.
Nil turpe quamdiu prisca seruat
Simplicitas animi pudorem.
Ergo illa cæli militiæ cohors
Quæ læta cunis adfuerat, noua
Mortalibus vulganda ducens
Gaudia, dum liquidum reuertens
Implet sonoris æthera cantibus,
Non hos eburno qui recubant toro,
Dites vel audiuere Crassi,
Non tumidi imperio tyranni,
Sed nocte pastor sub Ioue frigido
Seruans quietum sollicitus gregem,
Immanibus ne grata cedat
Præda lupis, auidæq́; tigri.
Ingens honesta est pauperies bonum
Quam sponte adoptes, fallere nescius.
O terq́ue felices quaterq́ue
Agricolas quibus illa cælo
Vox missa, Summo gloria nunc Deo
Reddatur altos qui superat polos,
Nunc alma pax terras reuisat,
Pax animis sociata rectis.
Quin & cohortis ductor, vt igneo
Splendore fulgens terruerat viros,
Stupentibus sic fatur vltrò,
Macti animis. neque enim timori
Cum tanta fertur lætitia est locus.
Orbis quod omnis gaudeat, en diem
Quo natus est Seruator, ille
Ille hominum pater atque custos
Christus, perennis quem caput imperi
Iessæa Bethle protulit. Ilico

Adite.

Adite. Nec vos signa fallent.
Panniculis iacet inuolutus
nellus infans, dat malè commodas
Præsepe cunas. Sic ait, arduum
Sublimis insigni chorea
Cum sociis repetens Olympum.

ILLI *remoto prosiliunt metu.*
Bethlæa iussu mœnia Cælitum
Adire, & explorare cunas,
Tum puerum, puerique matrem
ectare nulla fert animus mora.
Nec dona desunt, non equidem graui
Sumptu, nec vrbanis parata
Artibus, Attalicoque luxu,
ti sed altis ilicibus faui,
Pressique casta caseoli manu,
Vuaque, & asseruata duro
Poma gelu, teretésque oliuæ.
ec deferentes munera, ceu Deo
Ducente nullo deueniunt locum
Labore. Nec deserta terret
Villa viros, inamœna cultu,
in nuda sese prodit, vt ilico
Conspectus ipso è vestibulo puer,
Virgoque, grandæuusque coniux,
Quæque fidem meruere cunæ.
m verò ouantes lætitia simul
Vocemque tollunt, & genibus Deum
Fatentur inflexis, & omni
Excipiunt alacres honore.

EC muta pendet fistula leuibus
Compacta cannis, qua poterat feras
Mulcere, cursum vertere amnis,

Et rigidas agitare quercus
Insignis Idmon, Threïcia quidem
De gente, rerum conscius omnium
Quas arte praestans matris Orpheus
Pieris docuit sub antris,
Sed additurus tradita maximo
Arcana Mosi. Tunc patria procul
Degens Idumaeis in agris,
Hunc puero est modulatus hymnum.
En illa proles Virginis aurea
Quam nascituram non modo qui piis
Diuina pandunt iussa chartis
Isacidûm cecinere vates,
Sed exterarum lumina gentium,
Quos grata semper posteritas colet,
Et magnus Orpheus, & Sibylla
Perpetuò celebres honore.
Humana quid non praepetibus videt
Mens nixa pennis, cum Superûm domos
Nec vilibus depressa curis,
Nec vitiis generosa scandit?
Stat sculpta caelo virginitas sacro
Fecunda partu, Erigone, sinu
Manuq́ fundens alma spicas.
O nimium nimiumq́ felix
Aetas, supernis quam saturent bonis
Demissae Olympo Iustitia & Fides,
Molliq́ compositam quiete
Assidui beet aura veris.
Procul tenebrae. Lux oritur noua,
Lux vera, nocti cedere nescia,
Qua magnus illustretur orbis
Antè malis malè pressus umbris.
En regis astrum Erigonen sequens,
Chelasq́ linquens. Occidit occidit

Scelestus

celestis ille, immanis ille
Letifero tumidus veneno
ens, malorum subdolus artifex.
Non ille posthac aut Lyciam tenens,
Aut Delon, orbisq; vmbilicum
ortilega reget arte Delphos,
falsa ducet per populos sacra,
Nec vertet acri lumina fascino.
u sancte, tu Pythona certa
Magne puer feries sagitta,
sq; victor, quâ Boreas pigris
mmugit antris. Hic fremat horridus,
inctusq; aheno ad saxa nodo.
ic gelida positus sub Arcto,
totus ardens inuidia graui,
traque mundi parte coli tua
eploret infelix tropaea,
pse sui genitor doloris.
e partus quot cumulat bona!
uge euge cunas spargite floribus.
n sponte submittuntur. Ecce
cce Deus. Procul ô profani.
vos beati, quos Superûm fauor
Arcessit vltrò, ô socij, quibus
d ritè compensemus vnquam
fficiis? Date parua nullo
dona cultu. Nunc satis est Deum
idisse, quondam firmior omnibus
e prodet aetas. O supremi
rande decus Patris, & potestas,
antè (quaeso) da moriar tua
Quàm facta cernam, quàm memor audiam
racepta, quae quicunque seruet
Haud dubiam referat salutem.
c siue commoto imperites mari,

Ventosq;

Ventosq́, nutu circumagas tuo,
Damnesq́, Neptunum, fluentes
Ingrediens pedibus per vndas;
Siue ægra sanes membra dolentibus,
Nunc capta reddens lumina, nunc pedes,
Auresq́, surdis, & ligatæ
Restituens sua verba linguæ;
Seu, fama vulgi quod celebret magis,
Obsessa Diris pectora liberes,
Aut corpore exutas auaro
Huc animas reuoces ab Orco,
O illa quantis laudibus efferam!
Nec tute vinci carminibus sinas,
Non Græcia hoc si certet omnis
Omnibus accomitata Musis.
Sed iam relicti nos reuocant greges,
Et læta poscunt pascua, quæ neque
Fallacibus culpentur herbis,
Nec vitio metuantur vndæ.
Formosa densas quâ salices alit,
Quâ ripa lauros, nil veriti graue,
Nil triste, proiecti sub arcta
Et pecus & pecoris magistri
Claudemur vmbra dum medio calet
Sol altus æstu. Tunc calamos iuuet
Inflare, tunc cantare sacros
Verba Deo præeunte versus.
Procul luporum vis, procul hostium,
Tectisq́ fures insidiis graues.
Tam prosperis qui natus astris,
Ast humili puer iste cultu,
Pastoris olim insignia præferens,
Atque arte præstans, pabula suggeret
Salubria ac iucunda, multo
Ambrosiis potiora succis,

Felicis

is auctor pacis & otij,
déinq; sæcli conditor aurei,
anctore renascentem gubernans
imperio venerandus orbem.
dius Idmon. Quæ socij semel
Audita lætis sæpe iterant modis.
t plausus, & laudata proles
etitiam accumulat parenti.



AD



AD IOHANNEM MORONVM, CARDINALEM, SACRI SENATVS PRINCIPEM.

TV quoque magna gradu cernit quem Roma secundo
Sublimem afflictis porgere rebus opem,
Et toties sacro facientem verba Senatu
Flectere purpureos in tua vota Patres,
Hunc Morone meum læta cape fronte libellum.
Indignus studiis non erit ille tuis.
Nam Christum educit cunis,hominemque Deumque.
Summus at hic veræ relligionis apex.
Materiam laudes , etiam si carmina damnes.
Hæc quoque si laudes, spem superabit honor.

LÆVINI

EVINI TORRENTII HYMNORVM DE PVERO IESV LIBER VNVS.

Circuncisio Cal. Ian.

Nvs laetitiae non satis est dies.
Natalem colimus sancte puer tuum.
Te nascente coorta est
Humani generis salus.
um croceis Luciferum rotis
rora Oceano protulit, en adest
stus rite sacerdos,
tellum & pateram ferens.
mi veteris quod moniti sumus
emplo, vetus & legifer imperat
ro carmine Moses,
odq́; omittere sit nefas,
ripto puerum tempore conuenit
gni celebrem reddere nomine,
praeputia scindi,
gata Isacidûm nota,
caelo populis gratior omnibus
s praefert alacri non sine gaudio,
òd secreta profanis
ingit propius Deum.
ros scelere & flagitiis amans,
cisi monuit vulnere corporis
prauertere praui
rsus animi graues.
nsam nitidis sternite linteis,
rtis alij cingite frondibus,
pulcherrima virgo
olli puerum sinu

Auferri

Auferri patere, atque oscula sustine,
Quantumuis animo suauia, dum sacer
Munus triste minister
Secura peragit manus.
Implebit tremulis æthera questibus,
Humectans teneras lacrymulis genas,
Nec tu cernere mater
Hoc siccis oculis queas;
Quamuis æthereo sed genitum patre,
Postquam visceribus factus homo est tuis,
Ferre humana volentem,
Quódque est, esse hominem sine.
Non illum magis hæc vulnera sauciant.
Quàm matris gemitus, flebit acerbius
Ni suspiria cessant.
Nec longus fuerit dolor.
En rursus gremio compositum tuo.
Miscens blanditias vbera porrige,
Mox secura sequentur
Hausto obliuia nectare.
O anni liquidum principium noui!
Felici auspicio pulchrior it dies,
Quo tam certa saluti
Nostri seruitij est fides.
Non olim Phary sub domini iugo
Afflicti Isacidæ tot tulerunt mala,
Gentem à stirpe tyrannus
Dum tolli studet improbus,
Quot casus miseri perpetimur graues,
Dum bello Stygius Iupiter ingruens
(Heu) mortalia corda
Vexat mille nocens modis.
Nos illi nimium viribus impares,
Quos culpa veteris debilitat nefas,
Et contagia lædunt

rimis orta parentibus,
culpam puer hic sanguine diluens,
t pœnam meriti quam ſumus abrogans,
Hoſtem proteret; omni
Nos diſcrimine liberans.
m mortem moriens deſtruet, & ſuos
Æternis Superûm ſedibus inſeret,
Regnum rite perenne
Victrici ſtatuens manu.
egem patitur commodius aſperam.
Accedunt gemitus, & lacryma, & cruor.
Hac exordia pugna
Qua ſeruabimur ardua.
d nomen referet nunc igitur ſuis
Hic dignum meritis? Ne quis id ambigat,
auſto protulit ipſe
ali nuncius omine.
clarus veteres inter auos fuit
actos Iſacidis qui tribuens agros,
Terram lacte fluentem,
Deſeſſis requiem tulit.
maiora manent, & melioribus
Æterna auſpiciis ſancte puer tuis.
Tu ſeruator IESVS,
Tu CHRISTVS, *populi ſalus.*
àm vox hac homini conueniens Deo!
O nomen placidum, nomen amabile,
Quo non ſuauius vllum
uris inſonat auribus.
itur ſuperos, territat inferos,
Trans calum, mare, terram, aëra permeans,
Naturamque volentem
Ducens quo voluit modo.
lati nimis extollimur in bonis,
eu meſti nimis affligimur in malis,

D Qua

Quæ res cunque dolore
Perturbant animum graui,
Nil Cois, magicis nil opus artibus.
Si tantùm memori mente recurrerit,
Firmo nomen Iesu
Mentem constituet gradu,
Nec regum tumidæ demoueant minæ,
Non quidquid Siculi suppliciis graues
Inuenere tyranni,
Aut sæui Pelopis domus.
Seu ferro lacerent corpus & ignibus,
Seu ponto, aut rabidis obiiciant feris,
Mens inuicta triumphet,
Auctorem recolens suum,
Et claro resonans nomen anhelitu.
Quo audito pauidæ substiterint feræ,
Nec iam perdere ferrum,
Aut flammæ, aut valeant aquæ,
Vitam ni placidus dissoluat Deus,
Extremis animos indomitos malis
Ad cælestia regna
Sublimi rapiens manu.
Lætis excipient Cælicolæ choris
Cinctos purpureis tempora floribus,
Fulgentesq; coronis
Quas felix meruit labor.
Tantis ô vtinam Christe fruar bonis!
Tu prodesse velis post cineres mihi,
Casto carmine vates
Nomen quòd colui tuum.

Tres Persarum Magi.

QVIS *ille qui non gaudeat,*
Lyraq; lætus personet?

ſſaa radix floruit,
Quiq; inde fructus prodiit
npleuit orbem gloria.
idis alto ſtemmate
Vrbs Bethla regem protulit,
Qui matre natus virgine,
elicis auctor ſaeculi,
ſtauret humanum genus.
re terrae Principem
Tanto expetitum tempore.
ed originem caelo trahit,
ruſtraq; terris quaerimus
caelo niſi inuentum prius.
tolle caelo lumina.
Depictus illis eſt Deus,
Deiq; imago filius
Qui patris vnicum decus,
is, ſplendor, & potentia eſt.
tolle caelo lumina,
Quo differas à belluis.
Affixa turpi mens ſolo,
Curiſq; ſemper vilibus
Depreſſa, viuens mortua eſt.
olle caelo lumina.
Nunquam hoc tibi non proderit.
ed cauſa nunc ſubeſt recens
ur aſtra vos iuuet magis
Recto tueri vertice.
uper exortum iubar
ui cuncta cedunt ſidera,
Contraq; non Iouis vigor,
Non ignis audet Mercuri,
Non Heſperus contendere.
ſtella frigidi ſenis,
Nil Martis ardor feruidi

Triste, aut cruentum cogitant.
Quod Christus astrum prætulit
Latè serenat omnia.
Nec noctè tantùm pallidam
Fulgens inumbrat Cynthiam,
Sed luce perdurans diem
Illustrat, & mirabili
Splendore Solem prouocat.
Hæc signa primùm prouidi
Sensere Persarum Magi,
Quâ pictus auro vitreis
Et nectar & spirans rosas
Eous vndis exilit.
Gens prisca, gens pulcherrimis
Exculta semper artibus,
Intenta cælo, sordido
Auersa quæstu, & patrios
Seruare mores peruicax.
Quod (inquiunt) mortalibus
Fauore posset Cælitum
Maius parari gaudium?
Ille ille Christus nascitur,
Sperata Iudæis salus,
Speranda deinde ceteris
Latè per orbem gentibus.
Nam quisquis hunc agnouerit
Quocunque terræ limite,
Æterna referet præmia.
Quin imus ergo, & visimus
Tanto potentem numine?
Qui solus astris imperans,
Cælique cursum temperans,
Solus gubernat omnia.
Sic fati adornant munera,
Longæq; præsidium viæ.

Nec mora, parati lucidam
Quâ stella signabat viam
Fausto sequuti sunt pede.
Solyma postquam venerant,
Optata scitatum loca,
Quam rura seruarant ducem
Vrbs hanc superba, & perfidi
Herodis aula perdidit.
ina nescit Isaci
tirps Persa quod procul videt,
Auditq; pastor peruigil
Quod ditis incola oppidi
ecurus ignorat sui.
urbis egressis solum
Bethlaa versus mœnia
e flamma rursus obtulit,
Rursus fruendam prodidit,
Maiore lucens gratia.
antur illi, turbido
ecum putantes pectore
Qualem reperturi domum,
Fortuna qua parentium,
Quanta aut clientum copia,
Quando repente substitit
ubar retorto lumine
n proxima culmen casa,
nuenta quod erat arguens
Augusta Christi regia.
n illa fulgens purpura,
Non auro & argento nitens,
Gemmisq; Rubri litoris,
Aut picta venis marmorum,
Turbáue seruorum strepens,
Sed pauperis pars villula
Deserta, squallens, horrida.

Tum paruus in cunis puer.
Huic virgo mater assidens,
Custos & amborum senex.
His cœpta tunc exordiis
Quæ regna nunc ingentia,
Nec clausa terris, nec mari,
Super alta tendunt sidera,
Sedemq́; contingunt Dei.
Non asper hic cultus tamen
Heroas illos terruit.
Res inter arctas nam magis
Elucet, & sensum ferit
Diuina pollens gloria.
Inflexo adorant poplite
Quem mater in sinu gerit,
Dein dona promunt mystica.
Tus Numen, aurum Principem,
At myrrha mortalem notat.
Saluete Persarum decus,
Saluete mundi lumina,
Exorsa per quos omnium
Dum ritè Christum quæritis
Vbique gentium salus.
Qui nunc in aula Cælitum,
Cincti coronis aureis,
Longoq́; compti syrmate,
Agmen sacratum ducitis,
Toto eminentes vertice.
Assurgit ipse illustrium
Bis sex Senatus principum,
Vestro quòd exemplo ferum
Orbem facilius impiis
Auerterint à cultibus.

Christi in Ægyptum fuga.

AVDENS *somnifero murmure fontium,*
cantu volucrum dulce strepentium,
arsisq; in viridi gramine floribus,
Ac nigris nemorum comis
aro nobilium tecta subit Quies.
eterret comitum turba procacium,
eruorumq; greges multa minantium,
Et plenæ strepitus domus,
Deterrent Tyriæ fulgura purpuræ,
Tristes excubiæ, ianitor improbus,
Ferrataq; fores, & super omnia
Aspectus domini grauis.
Seu sella tumidus præsidet aurea,
Seu lecto recubat tornus eburneo,
Quocunque ingreditur, quidquid agit, tamen
Circumstant Tremor & Pauor.
Quæ quis tam patiens quin animo ferat
Commoto, increpitans, Prò pudor! ô nefas!
Solísne vsqueadeo diuitibus bene est,
Solis pauperibus male?
At quanto satius sub cute quod latet
Vulnus nos oculis cernere Lynceis
Quam pulchri specie fallier, & suis
Blandiri miseros malis?
Non hæc agricolis nota fidelibus,
Olim vt Fabriciis, & Curiis, lues,
Quorum sollicitæ rura colunt manus
Fraudem nectere nesciæ,
At mentem placidam sancta tenet Quies.
Adiungunt tacito se comites gradu
Prudens Simplicitas, nudaq; Veritas,
Et Pax, & Pudor, & Fides.

Non illic scelerum mens sibi conscia
Pœnarum assiduo concutitur metu
Turgetq́; Icario non leuius freto
Cum trux incubuit Notus.
Exemplo probat hoc Antipatri genus
Herodes, animis atque opibus ferox,
Et qualis foris est, atque oculis patet,
Fortunæ specimen bonæ,
Ast intus foricis fœdior omnibus.
Infelix, miser ah, & toties miser
Ipsum se quoties respicit impotens,
Et regni meminit sui.
Cui semper metuens semper atrocibus
Dat pœnas lacero corde doloribus,
Heredem audierat quem fore non suum,
Ni tradat puerum neci,
Ignotum sibi. Quod ne impediat tamen,
Mortem vni meditans, obiicit omnibus
Quos Bethle spatio non nimium breui
Materno ediderat sinu.
Infandum facinus. Sed bene quod suis
A natis quoque non abstinuit furens,
Ac tandem neque se, nec famulos ferens
Infernas abiit domos.
Cælesti puero quid tamen obfuit?
Quem mater tepido cauta gerens sinu,
Casti consiliis atque ope coniugis
Felici eripuit fuga.
Tres tantum numero, virgo, senex, puer,
Imbelles, inopes, præsidio sine,
Per fœta insidiis, fœta periculis
Ægyptum penetrant loca
Securi. quid enim Cælicolûm manu
Protecti metuant, aut trepident boni?
Non Martis rabies, non populi furor,

Non Regum horribiles minæ
[...]stando efficient quos voluit semel
[...]creto auxilio non iuuet vt Deus.
[...]m contrà caueant ne solitis pium
Fraudent obsequiis Deum.
[...] inter Pharios non male commodum
[...]titi hospitium, friuola negligunt,
[...] tantum satagunt, vt pueri bona
Seruent depositum fide.
[...]rant æthereo progenitum patre,
[...] cælo esse datum consilium fugæ.
[...]nfidunt pariter pro reditu fore
Tutam per Superos viam.
[...]uo solatiolo rebus ab asperis
[...]asci solitam tristitiam fugant,
[...] paruo tenues sub Lare diuitum
Magnas prætereunt domos.
[...]se infans roseam virginis aureæ
[...]eruicem teneris brachiolis tenens
[...]um dat, cum repetit suauia, mollibus
Fixis ora premens labris,
[...]nfans sed Deus, & principio carens,
[...] matrem reuerens, sed Superos regens)
[...]isne illa imperium diuitis Indiæ
Tantis prætulerit bonis?
[...]n lactens Deus, en virgo puerpera.
[...]cquid vel stupidum quod moueat magis?
[...]ælestum obuolitant alituum leues,
Et plaudunt dominis chori,
[...]t nos degeneres, quorum agitur salus,
[...]essamus? Tremulis dicite vocibus,
[...]u virgo genitrix, tu puer ô Deus,
Nostris ferte malis opem.
[...]i necdum satis est, & meriti sumus
Peiora (heu, fateor) quod tamen æquitas,

Quod spondet pietas, parcite, parcite.
Summa est parcere gloria.
Nec vestris alia est meta laboribus,
Curisq; & studiis propositus scopus,
Quam quæ flagitio contrahitur graui
Culpam vt gratia diluat.

Infantes ab Herode occisi.

AT ô supreme rector orbis, ardua
Sic cuncta temperans manu,
Vt nil sit vsquam, nil vel accidat, tua
Quin inde crescat gloria,
Quid iste fert tumultus & repens furor?
O rem nefandam & impiam!
Externa non Mars bella, non rixas mouet,
Ciuile nec struit nefas,
Pax alma terris regnat, haud secus tamen
Quàm classico excitus truci
Stricto satelles ense sæuit improbus,
Et ciuibus necem parat,
Regis satelles illius conuenerat
Quem rem tueri publicam.
Sed negligit, sed proprios vastat greges
Pudore proiecto furens
Atris tyrannus sæuior serpentibus,
Aut si quid inuisum magis.
Quos nuper (inquit) huc profectos vidimus
Extrema abusque Perside
Cæli peritos, & futuri præscios,
(Quod gentis vnicum decus)
Vidisse magni regis astrum prædicant,
Qui natus his in finibus
Ablata nobis regna fortis occupet,
Totamque Iudæam regat.

ec vana narrant. namque Dauidis ferunt
Sperare regnum posteros,
gemq́, Bethla quem pusilla proferat,
Insigne laturum decus.
inc esse natum suspicor, certa & fides.
Nam quos redire par erat,
stare dictis, alia abiuerunt via,
Nostrisque nos fallunt dolis.
d saxo vt hæc commenta mox nil iuuerint,
Vnum luisset quod caput,
lectantur omnes. Omnibus cæsis, parem
Et ille fortunam feret.
ollatur ille, quisquis est, & nuncium
Ad Inferos portet lacus.
Iam quid timere conuenit, si perdere
Quoscunque cum lubet licet?
ollatur ille, & quotquot à biennio
Nati fuere proximo.
c fatur. Audit miles, & ferrum rapit,
Bethlea tendens mœnia,
Agrosque Bethlæ. Quos cruentus obsidens,
Immane perficit scelus
nstar procellæ, quæ proterui turbido
Cum prœliantur æthere
Venti tremendo concutit terram sono,
Et læta per campos sata,
rugemq́, verrit lacteam. At boum simul
Et villici perit labor.
Heu quantus alta sidera incendit dolor!
O dira Thracum pectora!
Quid non tyranni cogit aurum perfidas
Cum militum induit manus?
Quod vrbe capta vitat hostilis furor,
Armis vt imbelles petat,
Herodis en satelles vltrò flagitat,

Gregem innocentem perdere,
Necantur vndis, igne, presso gutture,
Duro vel illisi solo,
Sed maior esse turba. nam gestit latro
Cruore ferrum tingere.
Quanquam nec altis inuenit plagis locum,
Et sanguis exit lacteus.
Sed quis minutos frangere artus est labor,
Tenuemq́; vitam abrumpere?
Caeduntur vt tenella ad aras victima,
Ah cadis ignari sua,
Et forte, nota vt patris arrepti manu,
Ridentq́;, & osculum parant.
Sed mater obstat, mater infelix sua
Propugnat ardens viscera,
Quid (inquiens) crudelis insontes petis?
Me me lacessentem feri.
Sic fata molli paruulum inuoluit sinu,
Et corpore obiecto tegit.
Sed instat ille toruus, & pullos velut
Cum seruat implumes auis
Contra mouentem bella serpentem, ferus
Cum matre fetum interficit.
Quid haec tyranne iuuerint, si vincere
Humana vis Deum nequit?
Euadet ille quem reformidas Ducem
Tot vnus inter millia,
Euadet, & quae regna nil ad te attinent
Victrice condet dextera.
At tu peribis pessimis miser modis.
Nec morte cessabit dolor,
Sed mersus Orci fundo, vbi teterrimis
Secreta sedes Manibus,
Tot perferes tormenta quot nunc imperas
Cruenta demens funera.

ta salue, sancta salue infantium,
salue innocentium cohors,
os ille destinauit aequales suos
Qui matre natus virgine,
virginum ipse, Christus, alma virgines
Exornat aequus gloria,
praeter omnes, lingua quem fari nequit
Fuso professos sanguine.
o supremi parte caeli, lactea
Quâ lucidum fulget via,
â picta dulci stillat vua nectare,
Quâ nectar exhalant rosae,
roas ante, & ante cinctos purpura
Caelestis aulae principes
i coronis luditis, & insignium
Mixti puellarum choris
rum canentes itis Agnum candido
Quacunque praecedat pede.
gaudet ille, gaudet, innocens sua
Qui morte mortem vicerit,
ctorq; clausi ruperit seras poli,
Patente cunctis regia
ui mitis aut vt agnus, aut blandus puer
Sine fraude vitam duxerint.

Occursus Christi & Simeonis,
postr. Cal. Febr.

CCENSAE rutilent faces,
Et stellas tremulo lumine prouocent.
empli fornicibus sacri
Quae pendent liquido lampades aëre.
uadragesimus hunc diem
Sol laeto retulit candidus omine
x quo iustitiae iubar

Christus

Christus Tartareis nos tenebris nouo
Nascens eripuit modo,
Et saclum populis condidit aureum.
Virgo sancta, Dei parens,
Quamuis Sithonia candidior niue,
Quamuis sidere purior,
Et gemmis pariter pulchrior omnibus
Nil purgaminis indiges;
Lustrari puerum sed nec opus tuum,
Insons qui velut hostia
Nobis difficilem conciliet patrem;
Non te peniteat tamen
Quod iussa faciunt lege puerperæ
Id nunc sponte sequi tua.
Exemplum inuenient vtile posteri,
Et mens ista humilis tibi
Æternum pariet pro meritis decus.
En lustralis adest dies.
Lustrali puerum tempore conuenit
Delatum Solymas sacris
Pro templi foribus sistere, non tamen
Solenni sine munere.
Sed lætis saliens victima pascuis,
Balantum soboles gregis,
Diti conueniens munus erit domo,
Tu censu tenui, & tua
Vel bini reluent vota columbuli,
Vel (quæ connubij fides)
Amisso queruli compare turtures,
Et, pulcherrima munerum,
Quòd nostri latitans tegmine corporis
Summi progenies Dei
Sese offert, simul & nos sociat Deo.
Iam virgo ingreditur viam,
Infantem tepido cauta ferens sinu.

uid cessas Simeon? grauem
Ætate extimulent gaudia. nam tuæ
udita Superis preces
Optatum referent protinus exitum.
res mira! Senem trahit
Materno geritur qui gremio puer,
ec fari potis alteri
Implet fatidico pectora numine.
am templum simul ac senex
Ascendens puerum viderat obuium,
nis excipiens suis,
Et fusis acuens gaudia lacrymis,
optatus (ait) dies.
Nunc lætus moriar. Sic placitum Deo,
ui vita saturum iubet
Compostum placida pace quiescere.
am quid iam morer amplius?
Quam cælo sobolem pollicitus pater,
mnis principium boni,
En gesto, en oculis intueor meis.
ingens decus Isaci!
O quantum patriæ conferet hic suæ!
ui communis adest salus,
Et lumen populis præferet omnibus,
t cælo teneant viam,
Laturi emeritis digna laboribus.
d multi ah miseri nimis
Tam clari renuent signa sequi ducis.
uos plaga feriet grauis
Vltrix immodicæ pœna superbiæ.
t tu quæ genitrix tuo
Tantam nunc animo lætitiam foues,
eu quot te capient mala!
Qui mæstam gemitus, quæ lacrymæ manent!
ucronis veluti rigor

Alto si foderet pectora vulnere.
Sic fatus senior. Neque
Tantæ solus erat præco potentiæ,
Sed sexu in fragili quoque
Inuenta est eadem quæ caneret, parem
Quàm latè aspicitur polus
Per terras referens inclita gloriam.
Magno illam populus stupens
Spectabat studio, quæ tenera virens
Postquam perdiderat virum
Ætate, haud aliis dedita nuptiis,
Sed se tota vouens Deo,
Hymnisq; & precibus sobria seruiens,
Non templo extulerat pedem,
Cælestûm meditans quâ pote gaudia.
O quàm conueniunt pares
Hinc Anna, hinc Simeon! Nunc quoque dexteras
Iungunt, & vaga fontium
Quâ curuo trepidans lympha salit pede,
Quâ suaues redolent rosæ,
Et perfusa nitent mille recentibus
Cæli prata coloribus,
Nunc laudes pueri, nunc genitrix tuas
Alternis iterant, nouo
Mulcentes Superûm pectora carmine.

Christus puer docens in templo.

GRATA *fecundi redit aura veris,*
Arua turgescunt Zephyro, & pruinis
Quæ modò horrebant vario renident
Pascua flore.
Surgit hirsutis coma nigra siluis.
Frondeum infelix philomela nidum
Ponit, argutum meditans canoro
Gutture carmen.

In dies in se redeuntis anni
Maximus, læto populi frequentis
Notus accursu Solymæ ad beatam
Diuitis vrbem.
Quisquis antiqui satus est Abrami
Stirpe, qui Numen veneratur vnum,
Gaudet, & festam parat otiosus
Condere lucem.
Inter accinctos ad iter tribules
Ponitur raptim comedendus agnus
Integer, nullis maculis, amaro
Non sine agrestis
Caule lactucæ. Iubet hoc sacrata
Lex, & hunc prisci tenuere morem,
Reddita quondam memores salutis,
Corniger ille
Cum Dei vates fera sub tyranno
Soluit indigna iuga seruitutis,
Victor ingentem referens perenni
Laude triumphum.
Magnus, at multo tamen ille maior
Cuius hic pollens opibus profundi
Æquoris vasto refluas hiatu
Diffidit vndas,
Seu per excelsi caua saxa montis
Sati ducens genus, at prementem
Terga, conuoluens freta salsa, fluctu
Obruit hostem.
Hunc diem quis non celebret dierum
Optimum? Tuque o pia præter omnes
Virgo, cælesti veneranda partu,
Protinus vrbem
Pete, atque vnà properet maritus,
Quique bis senos puer implet annos
Sit comes, iam nunc Solymam, atque auitum
Visere templum

Gestiens, nec se retinens paternas
Quin palam tractet memorandus artes,
Ritè præludens operi quod omnem
Impleat orbem.

Ite felices, pia turba, sacri ex-
ordium regni. Sed enim peractis
Diua cum sacris comitata casto
Coniuge mater

Patrios gaudens repetet Penates,
Sentiet carum sibi deesse natum,
Inter agnatos rata sors, & inter
Ipse propinquos,

Quæret, at frustra. neque enim supremo
Sole comparet, sed abest, & vsque
Vsque abest. Dulcem nequit illa ocellis
Carpere somnum.

Multa dum voluens animum huc & illuc
Cogitat, tandem placet vt coorto
Mane, cum cælo fugiens refigit
Lucifer astra,

Magna quæ mæsti tulerant viarum
Tædia indigno geminent labore,
Ora perfusi lacrymis, & ægro
Corda dolore.

Creber it cælo gemitus parentis,
Nate clamantis vbi nate cessas?
Nate quem finem statues meorum
Sancte laborum?

Non ego quòd te genui volentem
Hunc meis posco meritis honorem.
Tute quam optasti tibi ne repente
Desere matrem.

Hæc, & his forsan grauiora tristi
Voce dum iactat, gemuere siluæ,
Et feræ, & mæsto volucres repleruns
Æthera questu.

Sed

ed nec apricis agit ille campis,
Nec latet siluis, hominúmque cœtus
itat. Humana veniens salutem
Porgere genti,
be quærendus media. Neque istum
Alma detrectat genitrix laborem.
ulùlum tardat pudor, ast amoris
Cedere flammæ
gitur. Totam vaga lustrat vrbem,
er fora, & vicos, per & angiportus
buios carum rogitans parenti
Prodere natum,
Nec quies. Ternos labor ille Soles
ausit, insomnes totidemq; noctes.
Nec pares tanto poterant ferundo
Esse labori,
um piis ambo precibus sacrato
tè facturi sua vota templo,
rde præsago saliente, ab ipso
Limine magna
lium cernunt populi in corona
Ante grandæuos agitare Patres
icra quo vatum meditanda cuique
Carmina sensu,
la præsertim quibus adfuturum
oncinunt regem noua qui reducens
ecula & pacem ferat, & quietis
Otia terris.
imq; sublimi medius Senatu
Differens magno attonitas stupore
mnium mentesq; oculosq; vbi in se
Verterat vnum,
Mater accedens tremebunda, fusis
acrymis actos memorat labores.

Ille sed perstat, potiora summi
Munia patris
Debito matri anteferens honori.
Mox tamen lætam sequitur, parentum
Subditus molli imperio, & tenelli
Legibus aui.

Christi pueri obedientia in parentes.

IN *proprios parentum*
Quam sancta iura natos
Fundauit illa sollers
Natura, ne quis ausit
Aut prouocare dictis,
Aut concitare factis,
Eúmve eámve prima
Quos norit esse fontem
Originemq́; vitæ!
Quò blanda ducit vltrò
Natura lex eodem
Compellit, atque acerbis
Extorquet æqua pœnis
Quod debeas amori.
Si non timore pœnæ
Moueris, aut amore,
Hunc intuere virgo
Cui mater est puellum.
A matris ore pendens
Huc torquet vsque ocellos,
Totusq́; amore languens
Suspirat vsque matrem.
At quis putas puellus,
Quóue editus parente?
Parente, qui supremi
Super alta tecta cæli
Solio sedens eburno,

Sceptro

Sceptroq; nixus aureo,
Hunc, quantus est, potenti
Dextra gubernat orbem.
rennis hic perennem
Voluit sibi esse natum,
Æquæuus vt parenti,
Æqualis,atque consors,
Et cuncta procrearet,
Et procreata semper
Seruaret,inquieto
Dum secla supplet actu.
epingit ille terram
Vario colore florum,
Candentibusq; stellis
Depingit ille Olympum,
Attollit atque montes,
Extendit atque valles,
Conuestit arua fruge,
Colles coronat vuis.
le aëri volucres,
Quas pluma fert per auras,
Immittit ille pisces
Vndis, ferasq; siluis,
A vertice vsque cæli
Imi ad profunda ponti
Sua præferens opimo
Vt fercula in triumpho.
t tam venusto & amplo
Ne deesset in theatro
Spectator, editarum
Qui motus arte rerum &
Fulgore tam benigno
Applauderet parenti,
Hominem sua ipse dextra
Luto creauit vdo,

Qui particeps vigoris
Cælestis atque flammæ,
Dei instar vniuerso
Felix præesset orbi.
Seruire iussa tellus,
Seruire iussus æther,
Seruire quicquid ambit
Fulgente Phœbus axe.
Felix ô ille felix,
Tanto eminens honore
Si gratus, vt decebat,
Agnosceret datorem.
Princeps sed ille nostræ
Exordiúmque gentis
Adamus (heu) maligni
Dum fraudibus colubri
Persuasâ suadet vxor
Vetitum comesse pomum,
Ferox, superbus, amens,
Suæ immemor salutis,
Quam criminis nefandi
Labem induit pudendæ
Contagione seros
Traduxit in nepotes.
At noster iste, virgo
Cui mater est, puellus,
Sine labe natus vlla,
Quo ceteri laborant
Fatale vulnus ipse
Suo abluens cruore,
Sanabit, atque reddet
Nos pristino nitori.
Peccarat ille fastu,
Diuina iussa temnens,
Piabit iste fastum,

Diuina iussa adimplens.
enerae en Deus puella
Vt quilibet vel ima
De plebe natus infans
Obtemperat parenti.
eneratur illa natum,
Caelo quòd ortus alto
Se subdit ipse matri,
Terrestris vnde origo,
Se subdit & marito,
Qui fertur esse, matris,
Quam magnus atq; pollens,
Tam blandus atque mitis.
Res mira, res stupenda!
Diuina iuncta nostrae
Natura non laborem,
Non corporis sacrati
Tormenta, non atrocem,
Nos ritè vt expiaret,
Abominata mortem.
Tu, quisquis es, superbum
Ah pone pone fastum.
Nam quisquis es, supremi
Te maior ille caeli
Rex, puniens rebellem,
Dans praemia obsequenti.



AD PVERVM IESVM.

EN tibi ſancte puer comites adiungere cunis
Quos iuuat, & feſtis concelebrare tuis.
Non illi indecores regnis quæ maxima condes
Victor, & ad cæli ſidera ſumma feres,
Sed clari meritis, clari pietate, perennem
Firmabunt ſtabili relligione fidem,
Qua, Deus humanos quòd ſis indutus in artus,
Humani generis crederis eſſe ſalus.

HYMNVS DIVO STEPHANO

DICTVS.


VLTOR Pieridum non piger hortuli
Parnassi gelidis dum moror in iugis,
Festo (quod vacuis fas fuerit) die
Hoc vnum meditans opus,
Vt pingant nitidis serta coloribus
Nigrantes violæ, & candida lilia,
Aut cum luteola caltha decens coma,
Et certans rosa purpuræ,
Non famæ cupidis præmia bellicæ,
Quos Martis stolidi sollicitat labor,
Dum turpi rabie per scelus & nefas
Terris exitium ferunt,
Sed quos iustitiæ cultus amabilis,
Quos ardens pietas, almaq; veritas
Sub Christi docuit militiæ iugo
Cælo vim facere arduo;
Insigni ante alios te referam lyra,
Cingens purpureis tempora floribus,
Qui Graio Stephanus nomine diceris,
Nomen pro meritis ferens.
Tu Christi decus es, tu columen gregis,
Tu Christi segetis gloria. nam velut
Selectas Superis primitias pij
Libare agricolæ solent,
Sic Christus comitum, quos sibi sumpserat
Cum regnum moriens instituit nouum,
Exemplo voluit primus vti suo
Mortem eadem oppeteres via
Qua deinceps alijq; atque alij duces,
Quos omnis venerans posteritas colet,
Non vi, non gladijs, non opibus suis,
Sed firma in Dominum fide,

Cui Spes certa comes, cui comes est Amor,
Immanes populos regnáque Barbara
Strauere impauidi, mox super æthera
Euecti ad Superûm domos.
Et quem præcipuis inclita laudibus
Virtus ô iuuenis non moueat tua?
Tu vatum monitus, tu data patribus
Iura, atque historias tenens,
Ductúsque hoc veluti tramite, quam semel
Iuuentæ imbiberas vim sapientiæ
Eructans alijs, muneris ac tui
Partes egregiè gerens,
Quam gratus Superis, quoslibet efficax
Morbos corporibus pellere languidis,
Tam inuisus Stygij concilio Iouis,
Mortis supplicium subis.
Sed, mortis genus hoc cui placuit, Deus
Vt nato instituit te comitem suo,
Sic nati voluit cernere gloriam,
Quæ mortem efficeret leuem.
Damnandus medio sisteris in foro.
Damnaturi oculos inijciunt truces.
Stat circum horribilis carnificum manus,
Et vulgus fremit improbum,
Cum tu sidereo blandior enitens
Vultu, non precibus, non lacrymis agens,
Sed Christi imperium strenuus asserens,
(Et nil tunc odio magis)
En (inquis) patet en regia Cælitum.
En regis solium, en progeniem patri
Claudentem latus, & quicquid erit mali
Stantem præsidio suis.
His dictis, furor vt creuerat impius,
Indefensum auida proripiunt manu,
Abductúmque procul mœnibus vrbicis,

Ceu dirus foret ac sacer,
nie&#x1F;tu lapidum tota premit cohors.
It saxis patiens ipse sonantibus
Pandens & latera & conspicuum caput,
Vt vernis olera imbribus,
Dein flexo placidè compositus genu,
Attollens oculos, iunctáque brachia,
Ac sonti populo quod faceret nefas
Toto ignosci animo rogans,
Ceu pratis redolens suaue virentibus
Flos quondam aëria grandine saucius
Procumbit moriens, voce nouissima
Commendans animam Deo.
At Victor violens cum super igneum
Cælesti choreæ se ingereret polum,
Apparet medio Christus in agmine,
Læto illum excipiens sinu.
Tum, quæ pollicitus munera, largiens
Cæli inter proceres perpetuum decus,
Mortem esse edocuit, si bene vixeris,
Vitæ principium nouæ.
Quæ quanto melior, tota periculi
Expers, nec dubijs subdita casibus,
Tanto consequitur quàm malè viuere
Esse optabilius mori.
Hinc ergo veterum more parentium
Festa cum colimus Cælicolas prece
Natalem accipimus quo pius occidit,
Non quo quisque oritur diem.
Quos inter proprium fit Stephane hoc tibi,
Quòd partum æthereum virginis aureæ,
Cui princeps pretium sanguinis es sui,
Natalis sequitur tuus.

DIVO IOHANNI APOSTOLO ET EVANGELISTAE.

Tu quoque Iohannes, summi quem gratia regis
Euexit ad summum decus,
Cælesti puero qui virgine matre creatus
Seruauit humanum genus
Dum natalitios per carmina dicimus hymnos,
Flexóque pro cunis genu
Spargimus Aonio natos in gramine flores
Quos longa non lædat dies,
Huc ades, huc niueo procede insignis amictu,
Longaque formosus coma,
Ut nexam simili capias de fronde coronam
Nostra laboratam manu.
Nam simul ac croceo lux tertia fulserit ortu
Natalis incurret tuus,
Turbaq́; velatas supplex se effundet ad aras,
Tuo dicatas nomini,
Quod sperare suis meritis non ausit id omne
Vt precibus impetret tuis.
Præstantem tot enim quis te virtutibus æquet,
Calóne sit carus magis?
Tu primùm teneris Christo coniunctus ab annis,
Virgoq́; virginem colens,
Et quanto senior, tanto quoque gratior vsu,
Seruans amorem mutuum,
Dignus eras cui se diuino panderet ore
Celso in Taborni vertice,
Dignus suprema cum iam post fercula cenæ
Sese ipse vescendum dedit
Ante alios omnes domino qui proximus esses,
Eodemq́; discumbens sinu
Haurires dulcem cælesti pectore succum,
Materno vt infans vbere.
Vnde & parta tibi vis illa & copia fandi
Torrentis instar feruidi,

Qua

Qua satur eructans geniti mysteria Verbi,
Sublimis in cælum volas.
Quid referam noctem qua non obscurior vlla,
Nec fœda, nec tristis magis,
Cum tu, cumq; alij læsi graue crimen amoris
Turpi subiuistis fuga?
At illi indecores tutis latuere sub antris,
Quâ quemque adegerat timor,
Tu rediens magno magnis in rebus amico
Immotus hæsisti comes.
Atque adeò infami cum fixus in arbore pendens
Inter nocentes innocens
Cerneret astantem mæsta cum matre, dolorem
Leniret vt verbis trucem,
Illi te natum, matrem tibi tradidit illam.
Qua lege desponsi semel,
Arctius æterno iunxistis fœdere vitam
Quàm coniugum nexus tenent.
Dein mortis domitor postquam infera regna relinquens
Pedem sepulcro protulit,
Accurrens subitò (nam Petrus tardiùs ibat)
Vt vacua vidisti loca,
Rem factam socijs properas dicturus in vrbem.
Nec habita dicenti fides.
Tu credis tamen, & matri, quæ prima reuersum
Vidisset, auges gaudia.
Mox etiam curuo staret cum litore, spectrum
Sodalibus visus tuis,
En inquis dominum. Cuius vi nominis alter
Vndoso inambulat salo.
At cum iam patrio victor conscendit Olympo,
Et dona misit ignea
Æthereamq inspirans auram, ô quæ tua virtus,
Quæ fama, & ingens gloria.
Cum Petro assiduè comes imperterritus ibas,
Ceu binâ mundi lumina.



AD GVLIELMVM SIRLETVM, CARDINALEM.

DVM varias inter curas hominumque labores
  Assidua versas scripta sacrata manu,
Mentis & intendens oculos ad lumina cæli
  Altius erecto vertice vera sapis;
Nec soli prodesse tibi contentus in hostem
  Surgis, & arrepto bella gerens calamo
Æternos sophiæ seruas à furibus hortos,
  Hactenus occultis qui nocuere dolis,
Et procul immundos arces a fontibus apros,
  Vt sitiens puras hauriat hospes aquas,
Hos Elegos venerande tui Sirlete clientis
  Exiguum, at magni pignus amoris habe.

IN NATALEM CHRISTI

ELEGIA.



P ARVE puer, magno soboles æquæua parenti,
De genitrice puer, de genitore Deus,
Atque idem indutus moribundi corporis artus,
Idem fine simul principioq́; carens,
Æterni patrisq́; vigor, patrisq́; potestas,
Et quamuis genitus nil genitore minor;
Qui terras, vastiq́; maris liquentia regna,
Et cælum, & cæli lucida signa regis,
Qui facis vt variis distincto partibus anno
Sit modò luce labor, sit modò nocte quies,
Ver generet flores, vndans stet frugibus æstas,
Poma det autumnus, corpora curet hiems,
Nunc pacem seruent, ineant nunc prælia venti,
Nunc niteant Soles, nunc caput imbre tegant;
Cum penitus toto nil admiremur in orbe
Quod non arbitrio stetq́; cadatq́; tuo,
Quodq́; velis factum præstet tua sola voluntas,
Natura Domino morigerante suo,
Quæ te parue puer traxit tam magna cupido,
Quis nostri generis tam violentus amor,
Vt talis tantusq́;, ah, toto pectore qualem
Haud capere humani vis queat ingenij,
Virgineo inclusus thalamo, castoq́; cubili,
Factus sis nostræ conditionis homo?
Es Deus, & quoniam Deus, es simul omnia & vnum,
Nec tua quo virtus crescere possit habes,
Sed tamen afflictis hominum succurrere rebus,
Et cum delicijs te iuuat esse tuis.
Ergo hominem pietas atq; indulgentia fecit,
Verus homo humanis vt medeare malis.

Hoc rerum dominum serui sub magine texit,
Corporis hoc fecit vincula ferre Deum,
Ferre deum nostros non æqua sorte labores;
Nos contrà proprijs ornet vt ipse bonis,
Ornet, & ornatos fulgentibus inserat astris,
Æternis cæli ciuibus annumerans.
Natus homo es, nulli sed parturiente dolores
Matre, nec amissus virginitatis honor.
Illa quidem ternis vterum ter mensibus auxit,
Ast vteri interea tædia nulla tulit.
Partim hominem, partim ista Deum testantur, & vnum
Efficeris, duplici sed ratione, caput.
Vt Deus, ingenti promis miracula plausu.
Res hominem duræ difficilesq; manent.
Hoc humilis clamat sors & fortuna parentum,
Hoc lacera, & pecori vix satis apta casa,
Et nullo quòd strata nitent cunabula cultu,
Sed vilem præstant stramen & herba torum,
Nec quidquam gelidæ pellas quo frigora brumæ,
Dant nisi quòd modicam bos & asellus opem,
Dum tepidis molles recreant afflatibus artus,
Et dominum agnoscunt quo pote seruitio.
Fallor? an æthereas vagitum tollis in auras,
Atque vrit teneras lacryma salsa genas?
Ah teneras ne læde genas, ne læde parentem,
Quæ simul effusis flebit & ipsa comis.
Parce puella metu, parce ô pulcherrima rerum.
Non opus vt turbet gaudia tanta dolor.
Non minus ille Deus, quòd flentem conspicis. Ecce
Fulgentes oculos, ignis vt instar habent!
His te lacrymulis, his te compellat ocellis,
Turgidulis inhians languidus vberibus.
O virgo simul & genitrix, huc vsque pudoris
Virginei satis est, fer genitricis opem.
Maternum petit auxilium. An cunctabere mater

Lacteolos auido prona aperire sinus?
Tolle moram, tumidas poscenti porge mamillas,
Ambrosio tristem pellat vt amne sitim.
Mox satur iniiciet candenti brachia collo,
Et lentus roseas serpet adusque genas.
Dulcia tunc blando miscebitis oscula ludo,
Quorum nec numerus, nec modus vllus erit.
Applaudent Superi, & latum Paana canentes
Spargent purpureis lilia mixta rosis.
Mox etiam paribus sulcantes aëra pennis
Implebunt latis aurea rura sonis,
Vulgabuntq; piis sacra mysteria noctis,
Nocte quibus teneros pascere cura greges.
Nec mora, qua iussi visent cunabula, viset
Vndique vicini conscia turba loci,
Laeta nouum celebrans partum rumore secundo,
Rusticaq; intextis dona ferens calathis.
Qua tu parue puer, non auersatus agrestes,
Accipies laeta quantulacunque manu.
Scilicet amplectens inopem sine crimine vitam
Pastoris veri nomen & ipse feres,
Pastoris veri, qui non detrectet acerbam
Pro grege seruando fortis adire necem.
Plaudite pastores. Simplex hunc cultus honorem
Vester, & emerita est iuncta pudore fides.

QVID *mihi quod videor sonitus audire tubarum,*
Et procul hinnitum Martius edit equus?
Concita praecipiti properant simul essedа cursu,
Et caelum nubes pulueris atra tegit?
Castra mouent magni Nabathaeo a litore reges,
Pulcher vbi tremulis surgit Eous aquis.
Non tamen vt validas expugnent viribus vrbes
Aut furor, aut iustus concitat arma dolor,
Sed pacis cupidos dator vt te pacis adorent

Sancte puer longas suasit inire vias.
Stella recens picto magnum decus addita cælo
Prouocat, & recto tramite signat iter,
Stella salutari prodens te sidere regem,
Qui regna arbitrio des adimasq; tuo.
Felices animi cæli quos cura remordet,
Et facit erectum tollere in astra caput.
Addiscent illinc vitæ fomenta beatæ,
Addiscent vnum nosse & amare Deum.
Pergite felices. Coram quem quæritis hic est.
Stat iubar, occultam nec sinit esse casam.
Tres capit Heroas angusto villula tecto,
Et videt inflexo ponere sceptra genu.
Aspice curuatas onerant vt fercula lances.
Aurum, tus, myrrham, mystica dona, ferunt.
Arridet puer, & tantos agnoscit honores,
Attrectans cupida munera grata manu.
Ad matrem tamen obliquos detorquet ocellos,
Torquet & illa simul, suauiolumq; rapit.
Mirantur proceres augustæ lumina formæ,
Atque iterum atque iterum vota precesq; nouant.
Mirantur comites, nulla & tam Barbara mens est,
Quæ non præsentem sentiat esse Deum.
Dant plausum. Pariter respondent vndique siluæ,
Et lætum ingeminant litora curua sonum.
Exultant scopuliq;, & pulchro vertice colles,
Et maiore cadunt murmure fontis aquæ.
At matri tacitum permulcent gaudia pectus,
Quæ partem tantæ laudis & ipsa ferat.
Nunc mater gaude. nam quæ ventura sequuntur
Tempora, solliciti plena laboris erunt.

ECCE furens animis Solymæ regnator acerbis
Ah puero insidias exitiumq; parat.
Neue error seruet morti quem destinat atræ,

Aut aliud feriat, quam petit ipse caput,
Occidi latè infantes simul imperat omnes
Annos qui nondum præterere duos.
Iamq́; aderit stricto qui sæuiat ense satelles,
Materno rapiens pignora cara sinu,
Atque hos atque illos promiscua funera mactans,
Immanis teneras ceu lupus inter oues.
Forsitan & matrem feriet, sua viscera mater
Corporis obiectu si miseranda tegat.
Et quæ non iugulum tunc vltro præbeat, vllus
Si precibus locus est, possit vt ante mori
Cernere quàm natum crudeli morte peremptum,
Quô modò sit tanto facta dolore parens?
Quin & erit verbis iram quæ prouocet, & quæ
Infantem aduersi illidat in ora viri.
Laudabunt aliæ lapsantem in sanguine nati,
Optabunt animos & sibi quisque pares.
Tum verò accrescet rabies succensa pudore,
Tutaq́; quæ prægnans non erit vlla nurus.
Impius extantem ferrum demittet in aluum
Miles, & inuenient hac quoque fata viam,
Non nati vt dulcem linquant in limine vitam,
Ceu rosa purpureas nondum adaperta comas.
Herodes scelerate tuam quæ insania mentem
Occupat, & vexat tam furiale malum,
Ah nunquam Siculi quod tentauere tyranni,
Auditum tragicis nec fuit antè choris?
Túne Deo speras (ô fœda & dira libido!)
Vim facere, aut vllis posse nocere modis?
Túne Dei mentem, atque æternas bellua causas
Mortali demens vertere consilio?
At metuis regno, quia regem parturit orbis.
Pone metum, regno nil perit inde tuo.
Ille, Dei soboles, teq́; & mortalia spernet
Sceptra, pios animos relligione regens.

Quos

uos volet æterna secum pòst luce potiri,
Cum premet atra tuum nox furiose caput.
unc dabis infando ingentes pro crimine pœnas,
Tisiphone vltrices incutiente faces.
'ntè etiam tempus veniet cum perditus optes
Posse mori, at longam mors trahat vsque moram,
)um morbus lenta depascat viscera tabe,
Et suus excruciet singula membra dolor.
Nec stupor obtusos percellet frigore sensus,
Ipsa nouis crescet mens agitata malis.
)ccurrent diræ facies, Palloráq;, Pauoráq;,
Quicquid & Infernas excubat ante fores,
Aridaq; ardebunt tristi præcordia flamma,
Quanta nec Ætnæis æstuat atra focis.
Talia crudeles spectent exempla tyranni,
Atque iisdem pereant qui meruere modis.

SED *tu Diua parens puerum ne crede furenti,*
Neu pigeat longæ tædia ferre fugæ.
Cælesti monitam voluit Deus ipse ministro
Ut Pharon, & Nili diuitis arua petas.
Arua pete antiquis benè nota parentibus olim,
Nunc tamen exilio nobiliora tuo.
Obuius excipiet læto te flumine Nilus,
Ostentans placidas ambitiosus aquas,
Et quæ monstra suo fert plurima turbidus amne
Agnoscent posita te feritate Deum.
At caro noceat capiti grauis aura caueto,
Et tenerum tepido fer benè cauta sinu.
Nec trepida si forte tuas peruenerit aures
Vel rhedæ strepitus, vel properantis equi.
Ipse licet veniat magna stipante caterua
Rumpere iam cœptum non queat hostis iter.
Cælestis vetet hoc qui te comitatur euntem
Aliger, & tutam præstat vbique viam,

Aliger horrendus nunc cuspide, blandus at olim,
Cum tibi de partu nuncius astiterat.

TV quoque virginei custos memorande pudoris,
Nec vir, nec pater, at nomen vtrumque ferens,
Ipse manu placidum ducens cunctanter asellum
Prospice securo vadat vt ille gradu,
Nec labet acclini scandat seu tramite montem,
Incuruo vallem seu repetat capite.
Ipse sacrum agnoscit pondus, sed fortius ibit
Et plausu, & blanda voce rogatus heri.
Aspice demisso nutantes vertice palmas.
Ipsa vocant auidas mollia poma manus.
Da puero, & teneræ munuscula grata puellæ,
Quò minus esse grauem credat vterque viam.
Lude puer pomis, noua sed miracula nullum
Conuincant Pharios numen habere Deos.
Quacunque ingrederis sacris gestatus in vlnis,
Circumagens cæli quod regit astra caput,
Ecce iacent fractis simulacra ingentia membris,
Tympanaq́, & nullo turpia sistra sono.
Hoc Isis gemit, & gemit hoc latrator Anubis,
Omnis & euersis territa turba sacris.
Causa latet. quis enim tantilli corporis vmbra
Crederet ingentem posse latere Deum?
Tu tamen ille puer cecinit quem dia Sibylla
Victrix cum Pharias Roma teneret opes
Venturum latè regem, dominumq́ potentem,
Æterna mundum qui ditione regat,
Cælesti genitore satus, cælestis & ipse,
Vera sed humani corporis ora gerens.
Tu puer Hebræus natum quem plorat Apollo
Pythius, Infernos iussus adire Lares,
Iussus sortilegis cortinam linquere Delphis,
Iussus apud Lycios, iussus & Ortygia,

Nec vatum inspirans mentes, nec pectora torquens,
Sed penitus toto mæstus in orbe silens.
Quærite cur terris cessent oracula Graij,
Quærite. Sed frustra sumitur iste labor.
Hunc puerum docta nondum si nostis Athenæ,
Ignoto sed adhuc stat vetus ara Deo,
Agnitus excelsa turbabit ab arce Mineruam,
Falsáque diuersis Numina mille locis,
Numina, quæ Stygiis orbem mersere tenebris,
Ipsa sed ad Stygios nunc abitura lacus.
Nos æterna manet lux, & bona plurima lucis.
Nox fugit, & cæca quæ mala nocte latent.
Aurea pax orta est terris, descendit Olympo
Iustitia, & veri non simulatus amor.

HACTENVS *hæc. Superest sed enim robustior ætas.*
Cuius si laudes & benefacta canam,
Nec sileam qualesq; feres quantosq; labores
Humanum reparas dum venerande genus,
Non vox vna satis, non lingua, & forsitan addam
Plurima natali non bona verba die.
Nec teneant lacrymas duro licet obsita ferro
Pectora, vel Libycis asperiora feris.
Sancte puer, quoniam tota plebs nocte dieq;
Peruigil ad cunas cum prece vota facit,
Omnia quæ sacro castus prait ore sacerdos
Annue. Natalem fac iuuet esse tuum.

VIRGINI MATRI LAVRETANÆ VOTVM,

SIVE

Vnde orta ſcribendi De partu Virginis opuſculi occaſio.

DIVA *parens noſtros toties miſerata labores,*
Extremis toties auxiliata malis,
Nec timidum certis occumbere paſſa periclis
Quæq; forent terra, quæq; adeunda mari,
Quæ tibi pro tantis Superûm regina merenti
Muneribus grata præmia mente dabo?
Ædificent alij ſolido de marmore templa,
Ampla quibus largas arca refundit opes,
Et vetus argentum, vetus hic tibi ſplendeat aurum.
Deferat huc niueum diſcolor Indus ebur.
Hic tibi ſint variis Arabum diſtincta lapillis
Grandia Sidoniis pepla recocta focis,
Molliáque intextis ſurgant aulæa figuris,
Barbara quæ tenui fœmina pinxit acu,
Ac benè materiam poſtquam ſuſpexerit hoſpes,
Materiam vinci clamitet arte manus.
Talia qui donent laudémque decúsque mereri
Crediderim, dignos ſemper vbique coli.
Ecquid enim toto tam rarum cernitur orbe,
Quod pietas meritis deneget alma tuis?
Sed duro tamen eſt aliquid viuacius ære,
Eſt lapide, & concha pulchrius Oceani,
Quod non ſolus Arabs, aut diues poſſidet Indus,
Et celeri externo fertur ab orbe rate.
Sed vates facere pij, cæleſtibus vſi
Auſpiciis, doctæ nobile mentis opus,
Mentis opus, quo non aliud præſtantius vllum,
Nec donum cælo gratius extiterit,

Mentis

entis opus, nihilo minus immortale coruscans
Quàm quæ sidereo mens venit ipsa polo.
on illud Martis rabies, non turbidus Auster,
Non perimant casu fulmina missa graui.
t pictæ pereunt tabulæ, grandesq; colossi,
Siue hominem simulet, seu labor ille Deum.
gentes pereunt vrbes, immania regna,
Seu tua rex Macedo, Romule siue tua.
uos nisi Pierio texisset Musa sub antro,
Nulla illaudati nominis vmbra foret.
etera cùm longa pereant consumpta senecta,
Et nunquam redeat qui fuit antè vigor,
ngenij monumenta manent, succrescit in horas
Gloria, & extenta posteritate viret.
Musa mori vetat, & longum diffundit in æuum,
Dum sua virtuti præmia ponit ouans.
Atque hominum blando demulcens corda lepore,
Mulcet & æternos non minus illa Deos.
lla etiam templis meritos indicit honores,
Et facit ad nostras Numen adesse preces.
Tum vatem quemcunque sacra semel imbuit vnda,
Et dedit Aonio fundere verba sono,
Morte obita, humanos cum spiritus exuit artus,
Ipsa manu campos ducit in Elysios.
Haud tamen immundos fas huc transire poëtas,
Quorum virgineus fugit ab ore pudor.
Sit satis hos turbæ quondam placuisse salaci,
Dum canitur medio turpis amica mero,
Atque aliquem sculpto titulum superesse sepulcro,
Notáque librorum nomina fronte legi.
Casta placent Superis. Si casta poëmata, viuet
Auctor, & extrema cum venit hora die
Qua mare, qua tellus, conuulsusq; ardeat æther,
Et redeat fracto terrificum orbe Chaos
Cælestes inter choreas, cælestis & ipse

Pars chorea, arguto pracinet ore melos.
Intenti accurrent Superi, collóque canentis
Iniicient auida florea serta manu.
Ipsa caput cinctum lauri frondente corona
Adduces nati Diua sub ora tui,
Flammantésque dabis radios, vultúmque tueri
Sidereum immotis posse superciliis.
At Deus omnipotens solio sublimis eburno
Antiquum reputans mente creator opus,
Et memor vt quondam nostros indutus in artus
Sanguine procliuem strauit ad astra viam,
Tum verò ingenti vinctus genitricis amore,
Non poterit votis durior esse tuis.
Ipse igitur vatem quem cælo digna locutum
Comperit humanis altius isse modis
Annuet æternis procerum discumbere mensis,
Atq; epulas casta concelebrare lyra.
Ille tuos referet partus. Nec mollius vllum,
Aut magis accendens gaudia carmen erit.
Hac ego sancta parens tota sic mente volutans
Hospes ad Hadriacas forte ferebar aquas,
Brachia quâ curuans in portum contrahit Ancon,
Et procul aduersos aspicit Illyrios,
Quâque ferox nota Pœnorum strage Metaurus
Vmbrorum latos irrigat almus agros.
At sacri nemoris dorso tibi plurima frondens
Laurus odoratas explicat alta comas,
Et sua marmoreis imponens nomina templis
Non ita se Delphis iactat Apollineis,
Non Lyciam, non Delon amat, quin Thessala spernit
Tempe, oditq; tuum Phœbe superba caput.
At Mariam laureta sonant, Mariam alta reclamant
Litora. Quo audito ventus & vnda silent,
Horrida tempestas leni conuertitur aura,
Et volat excusso tuta carina metu.

Agnoſcunt duri curſus ſolatia nautæ,
Et quæ polliciti reddere vota parant.
Ipſe gubernator puppim de more coronans
Te dominam plena voce ſalutat ouans,
Atque ait, OEbalij valeant, malà ſidera, fratres,
Certior hæc ſæuo ſtella reperta mari.
Tunc ego progreſſus portu quò celſa vocabant
Culmina delubri conſpicienda tui,
Dein ſacrum genibus perrepens limen vbi aram
Aſpexi, tactus relligione loci,
Protinus & duplices tendens ad ſidera palmas,
Ritè pias animo concipiente preces,
Méque meósque tibi deuoui ſancta, labores,
Pieria pererem quidquid ab arte potens.
Hæc igitur tenui deducta poëmata filo,
Dum iuuat Auſoniam ſollicitare chelyn,
Et numeris vulgare tuas pulcherrima laudes,
Reddimus integra debita vota fide.
Tu natum mihi concilia, tu rémque domúmque
Serua, tu patriæ fer pia mater opem,
Vt qui nunc noſtrum turbat Mars impius orbem
Dura vel in Mauros, vel terat arma Getas,
Nos pax alma nouis plaudens circumuolet alis,
Aurea pax, terris aurea dona ferens.

DE CHRISTO IN CRVCE PENDENTE ELEGIA.


VIS nouus hic furor? aut quæ vos insania ciues
Arripere infesta compulit arma manu?
Hostis an ad portas sedet, & quassata fatigat
Mœnia seu Pharius, seu malefidus Arabs?
Forsan & Ausonidæ terrent, & prisca maligni
Sacra vetant solitis concelebrare modis.
Nil horum, placida securi pace fruuntur.
Sed qui scire velit quid paret iste furor,
En captum adducunt regem diuinitus olim
Promissum, terras qui ditione regat,
Nomen & Abrami veteris super æthera tollat
Nobilis, æterni conditor imperij.
Nec cepisse satis, pœnas cum sanguine poscunt,
Sæuaq; non vllum nouerit ira modum
Donec ab infami suspensus robore vitam
Finiat, atque insons facta aliena luat,
Haud aliter sacras quàm quæ mactatur ad aras
Victima, placatum conciliátque Deum.
Quale sed hoc regnum est? Vtrúmne a funere viuet,
Et domita sceptrum morte tenebit ouans?
Hoc erit, & bene sit. neque enim nos somnia ludunt,
Vanaq; spes falsis ducit imaginibus,
Sed dictis agimur vatum, & quæ cernimus ipsi
Nil dubitare sinunt quin sit habenda fides.
Quicquid enim noto præscripsit carmine Moses
Cum iam Niliacis egrederetur agris,
Siccaq; diffisso ferret vestigia ponto,
Sensit vbi infidas mox ferus hostis aquas,
Integrum & nitidum mandans occidier agnum,
Huc facit, & nostras approbat historias.
Ille ille informes ægrè qui sustinet artus,

Qui madidam fuso sanguine tingit humum
Transfixus rigido ferro plantásque manúsque,
Perfodit tenerum cui grauis hasta latus,
Denique vt ostentent noua per ludibria regem,
Cui lædunt lacerum spinea serta caput,
Nudatus socijs, nec quidquam adiutus amicis,
Solus, inops, nullis firmior alloquijs,
Impia sed dira patiens conuicia lingua,
(Qua grauior nulla est pœna, nec asperior)
Immiti tandem confectus morte, sed ante
Non moriens constet quàm voluisse mori,
Cum volet exanimes iterum penetrabit in artus,
Et veluti positis pulchrior exuuijs
Exilit, atque alios serpens sibi computat annos,
Imposito surget fortior e tumulo.
Surget io rediuiuus, (Io io omnis vbique
Turba canet, miræ conscia lætitiæ)
Surget, & optanti referet noua gaudia matri,
Et noua dilectis gaudia discipulis,
Quos illò atque aliò sumptis timor horridus alis
Turpiter occultas egerat in latebras.
Nec mora longa, dies primo qui tertius ortu
Aduentans roseo lumine sparget humum
Cælestes inter choreas hos ire triumphos
Cernet, & æterna religione sacer
Festa coronatis accendet lumina templis,
Ingeret accensis & pia tura focis,
Dulciaq; albati recinunt dum carmina mistæ,
Et crepitant dulces æra repulsa sonos,
Mystica sacratis iterabitur hostia mensis,
Hostia præsentem certò habitura Deum.
Quam supplex venerans gestu plebs omnis honesto
Sobria cælestes pascet & ipsa dapes,
Pastaq; securum peraget feliciter æuum,
Tuta Deo, tantum si modò fida ducem

Seruatis

Seruatis sequitur signis, se aptatq́; labori,
Iurata subiens munera militiæ.
Tunc tunc ingenti CRVX *effulgebit honore,*
Aurea stans celsa conspicienda trabe.
Quam nunc horrenti defixam cernere campo
Si pudor est, ipsi sit graue carnifici.

ANTE` *sed optato quàm tertius emicet astro*
Lucifer, & veniant quæ memoranda cano,
Ferali linquens pendentia stipite membra
Spiritus Infernas victor adibit aquas.
Debellanda illic sæui fera regia Ditis,
Magnaq́; de magna præda petenda domo.
Quippe cruentatas quæ cæsa est victima ad aras
Defunctis etiam lumen opemq́; feret.
Impia nam primi lustrans admissa parentis,
Quicquid in extenta posteritate mali
Inde per immensos orbi defluxerit annos
Eluit, & priscum reddidit omne decus.
Nec contrà Stygij valeat vis vlla tyranni.
Cedet, & en piceo mergat vt amne caput.
Ferrati emoto franguntur cardine postes,
Et geminæ duro clausæ adamante fores.
At trepidi fugiunt Lemures, incondita turba,
Sed nimis heu nostris ingeniosa malis.
Ingeniosa quidem, nostro si Marte resisti
Credimus. Ecce Crucem, suspice, tutus eris,
Corniger æratum vt læsis dux extulit anguem,
Cuius ad aspectum parta repente salus.
Diuulsis igitur claustris per vasta profectus
Regna, prius nullis peruia luminibus,
Ipse pios repetet Manes, quorum inclita virtus
Digna quidem cælo, si patuisset, erat,
Sed nullis illuc meritis ascendere cuiquam
Tunc prope præsentem fas fuit ante diem.

Obstitit æterni sententia iudicis æqua,
Hausta que natali noxia fonte lues.
Vos adeò furui tenebris quos eruit Orci,
Inferat vt luci sidereisque polis,
Illustres animæ vatum, regumq́;, ducumq́;,
Per quos Isacidûm fama perennis erit,
Et quotquot patrias leges ritusq́; tueri
Impulit antiquæ relligionis amor,
Ite duci comites. Nondum via trita, sed ipse
Ipse per insuetum vos benè ducet iter.
At victor patrium donec conscendat Olympum,
Et secum pariter vos super astra vehat,
Interea latis secreta sedibus vnà
Ferte breuem (Multis proderit illa) moram,
Dum sese socijs & dum manifestus amicis
Approbat haud fictam versus in effigiem,
Sed gestans eadem diuino corpore membra,
Purpureis etiam consita vulneribus,
Quale decus fulgens ebori quod commodat aurum,
Quale rubens niueo lacte remista rosa.

SED *quis tam facilem dicenti præbeat aurem,*
Vt quemquam credat viuere post obitum?
An cruce depositus, quassis vix ossibus hærens,
Quo premitur, saxi pondera deuoluët?
Credere qui velit hoc, credat quoque posse reuerti
Tempora quæ volucri præteriere fuga.
Sit satis impositis animas non claudier vrnis,
Corpora, quæ terræ debita, terra premat.
Lazarus at superest. Scio, sed qui Lazarum in auras
Rettulit infestam cur subit ipse necem?
Anne alium inueniet simili virtute sepultos
Qui reuocans fatis imperet indomitis?
At quanto satius venienti occurrere leto
Quàm functos rursus viuere, vt intereant?
Hæc alij atque alij, sed quos terrena morantur,

Figere

Figere nec cælo lumina recta sinunt.
Cælestes animos cæli decet astra tueri.
Illo certa tibi fonte petenda salus.
Quem canimus regem, cælesti sede profectus
Et Deus, & nostræ conditionis homo est.
Est Deus, æterni consors genitoris in æuum.
Est homo, qui matrem nominet, & proauos,
Donec honoratum Iessæo ab sanguine ducens,
Donec ab Abrami posteritate genus
Impleri doceat magni promissa parentis,
Qui tales genito constituisset auos.
Nec verò matris nomen te terreat. Illa
Quæ parit, & virgo est, coniuge digna Deo est.
Hoc quoque coniugium firmant vatésque vetusti,
Et cæli dextro pronubus auspicio.
Qui noua cum lectæ ferret mandata puellæ,
(Ast illi roseus stabat in ore pudor,
Quòd sponsi thalamos voto nescire volenti
Vicini partus mentio facta foret)
En (ait) ætherea virtus te Numinis vmbra
Cinget, & hinc nato fama paterna tuo.
Namque Dei soboles toto dicetur in orbe,
Dauidis solium, regnáque auita tenens.
Dixit, & vt virgo dictis assensit, ab illo
Tempore diuini conscia connubij
Conceptum tenero seruans sub pectore, tandem
Edidit integra virginitate Deum.
Hoc etiam veteres non nesciuere Sibyllæ,
Nec quanquam inuito Pythias ore silet.
Quid primæ cantus, choréæque, & gaudia noctis,
Qua virgo genitrix, qua puer ille Deus
Principium tantis dederunt immobile rebus?
Ortáque quid medio stella repente polo,
Stella Dionæo procedens pulchrior astro,
Vt rectum ad cunas præuia monstret iter?

Talia cui nequeant accendere lumina mentem,
Hunc nihil ab tantis eruet e tenebris.
Quod si plura voles, totum discurre per æuum.
Circumfert hominem, monstrat vbique Deum.
Non dicam teneri cunabula prima puelli;
Diximus, huic operi stat suus antè labor.
Aspice crescentem iam pubescentibus annis,
Aspice mox iuuenem, aspice deinde virum.
Inuenies lacrymas, curásque, famémque, sitímque,
Lassata inuenies membra dolore graui,
Sed tamen hæc inter natura incommoda nostræ
Plurima demirans quæ venereris erunt.
Fert dura? At nobis virtutum exempla relinquit.
Mira facit? Dictis postulat inde fidem.
Nam neque mortiferas depellit corpore febres,
Nec claudis gressum restituitq́; pedes,
Vel surdis aures aperit, vel lumina cæcis,
Imperat aut ventis, imperat atque mari,
Vt vanos populi plausus mercetur hiantis,
Suscitet aut vano gloriolam capiti,
Sed patria cæli veniens legatus ab arce
Vt terris facilem sternat ad astra viam.
Hoc credi studet, hoc credentum errata remittit,
Maior eô quàm si suscitet ossa rogis.
Si Deus est igitur nostros circumdatus artus
Christus, & hinc illi nomen vtrumque damus,
Cætera quid dubitas? Quod mors inde abstulit atra,
Hoc mortis domitor reddidit inde sibi,
Sese iterum insinuans positis pro tempore membris,
Nunc tutis omni prorsus ab interitu,
Quæq́; per obstantes possint euadere moles,
Quæq́; procelloso insistere firma mari,
Denique & aërias niti librata per auras.
Tantum illis liquidæ lucis & ignis inest.

Quid mirum? Mors victa iacet, læto aucta triumpho
Vita coronatis æthera pulsat equis.

NEC *te supplicij genus, atque horrenda merentur*
Probra, vel in vilem non toleranda reum.
Quidquid enim proaui, quidquid commisimus ipsi,
Committentq́ alij quos sua sæcla manent,
Hoc insons simul omne luit pro sontibus, æqua
Lance volens pœnas pendere pro meritis.
Adde quod vt doceat mala vincere cuncta ferendo
Prauius ipse vltrò pessima quæque tulit.
Scilicet hæc dura causa est pulcherrima vitæ,
Causa quod infamem non renuitq́ necem.
Quo postquam eximium nostri testatur amorem,
Vulneribus sanans vulnera nostra suis,
Ac mortem subiens ne mors nos terreat, almæ
Porta quibus vita non nisi morte patet,
Impia despiciat perdentem in stipite turba,
At nobis eius mutuus adsit amor,
Mutuus adsit amor. quis enim tam spernat amantem,
A quo pauper opes speret, & omne bonum?
Qui tamen indecorem demens opponere regem
Ausit, & impuris polluere ora sonis,
Hic contrà accipiat nihil vllo augustius æuo
Spectatum Eois esse, nec Hesperiis.
Atque vtinam tantis par sit facundia rebus.
Vt sit opem vati porrige Christe tuo.
Quo mihi Romani Iouis ad delubra triumphi,
Altaq́ victrici fixa tropæa manu?
Quo mihi Pisæis quæ parta est gloria campis,
Gloria apud priscos vnica Graiugenas,
Diuitis aut Cyri solium, vel regia Crœsi,
Tota nitens auro, tota nitens lapide?
Non ego purpureum malim spectare tyrannum,
Pars illaudata quimodò plebis erat,

Atque

Atque erit, instabilem si Fors inuerterit orbem,
(Forsitan & miserum deteriora manent)
Non ego vel pugnis, vel equo, aut luctamine primum,
Cui cingunt apio serta reuincta caput,
(Qui si forte nouo repetat certamina lustro,
Victus & explosus turpiter obticeat)
Quàm Dominum pro me, pro te tam dira ferentem,
Pastor vt incolumi pro grege præda lupis,
Aut sponsus teneram sæuo à raptore puellam
Eripiens valida per mala multa manu.
Fœdatum piceo quem cernens illa cruore,
Improbáne id falsum vertat in opprobrium?
An potius tali tota se mente marito
Mancipet, æterno consocianda iugo?
Hoc suadet ratio, suadet pulcherrima virtus,
Rebus in aduersis intemerata fides.
At melior quanto, quanto est præstantior ille
Quo sine non vsquam est, nec queat esse bonum?
Hic igitur, tanta pro maiestate verendus,
Si nobis nasci, si voluitq; mori,
Atque in vtroque pati, nos vt seruaret amicè,
Men' pudeat, dignum nec rear esse Deo?
Ne dubita, Deus est. Cuius certissimus index
Assurgens humili de Cruce summus honos.
Nam quanto propius nobis se dia potestas
Assimilat, tanto plus quoque laudis habet,
Admirabilior mundum quòd morte redemit,
(Sic placuit) quàm quòd condidit è nihilo.
Condere namque Deo facile est quæcunque volenti,
Credere difficile est sed voluisse mori.
Hoc voluit tamen, ingenti percussus amore.
Et postquam voluit, quis potuisse neget?
Non igitur plaga, non nos opprobria turbent,
Quæ quicunque Deum non decuisse putat,
Is secum recolat veri tot maxima signa

Numinis, & latro quæ rata dona tulit.
Dat cælum, & perfert fanda atque infanda. Quid ergo?
Flecte genu, mentem surrige, Numen homo est.
Aspice luctantem cum morte hominemq; Deumque.
At vincit moriens, & tibi victor ouat.
Erumpent lacrymæ rigido durante duello,
Sed certus palmæ vota precesq; feram.
Et cui non teneram ducis hæc constantia mentem
Fulciat? En nullis flectitur illa malis.
Interea mæstæ plangunt per deuia rupes,
Et reboant mæsto vallium opaca sono.
Ipsa suum lugens tristis Natura parentem
Ora superfuso condit operta sinu.
Densant se tenebræ, tegitur caligine cælum,
Sueta reformidant munera Solis equi,
Saxaq; dissiliunt, adytisq; arcentia plebem
Vela cadunt magno non sine prodigio.
Mota tremit tellus, trepidant formidine gentes.
Culpa penes solos est tamen Isacidas.
Quos ipse immani cæcos errore furentes
Pœnam inter placidis aspiciens oculis,
Indolet, (ô pietas!) & supplice voce parentem
Det pacem miseris, det veniamq; rogat.
Hunc ego non venerer, non mirabundus adorem?
Hunc non præcipuo gratus amore colam?
Nascentem excipiunt læto simul omnia vultu,
Nec quidquam est optet quin moriente mori.
Desine crudeles Natura ô desine questus.
Vnius est cunctis funere parta salus.

LÆVINI

LÆVINI TORRENTII DE CRVENTO DOMINI NOSTRI IESV Christi ſacrificio, ad GERARDVM, Cardinalem, & Epiſcopum Leodienſem, Sacri Romani Imperij Principem.

LIBER PRIMVS.

ILLE ego virgineum læto qui carmine partum
Auſoniis aptans fidibus felicia dixi
Tempora, quæ ſummi demiſſum vertice Olympi
Cæleſtes inter choreas cantusq́; ſonoros,
Et ſubito effuſos hiberno ſidere flores
Viderunt naſci regem dominumq́; potentem,
Mortales indutum artus, at cetera Numen,
Aurea qui mundo producens ſæcula princeps
Et maria, & terras ſimul, & cælum omne teneret;
Heu quo nunc gemitu, quo luctiſono ſingultu,
Et caput, & duris pertundens pectora palmis,
Deplorem infanda damnandum morte reuinctis
Poſt tergum duci manibus? Quid deinde? cruentis
Vndique fœdatus plagis, vt corpore toto
Non vllus liuore locus, ſanieq́; vacarit,
Naturæ mundiq́; parens, quò crimina noſtra
Diluat, ipſe expers labis, ſublimis in altum
Tollitur infami fixus cruce. Noſtra nec angat
Corda dolor? Totos lacrymarum effundite riuos
Pierides, neque Caſtaliis de fontibus vnda
Profluat, aſſiduis mutentur fletibus vndæ,
Nec magis inſontem defleuerit Orphea mater
Orphea Calliope crudeli morte peremptum
Quàm Chriſtum chorus omnis. & hunc nam maximus Orpheus,
Et veſtris nota ſtudiis cecinere Sibyllæ,
Tranſgreſſi æternos ſophiæ veracis in hortos.

Tuque adeo, felix Eburo cui pinguibus aruis,
Condrusiuq; ferox, & prisco nomine Tungri
Imperio subsunt & sceptra & sacra ferenti,
GERARDE, *ingenio pollens & diuite lingua,*
Nec pacis virtute minor quàm fortibus armis,
Tempora purpureo velans incincta galero,
Adsis ô faueasq; , precor, non vana canenti,
Mæstus & hunc mecum pariter decurre laborem.
Sic pecudes non vlla tuas incommoda lædant,
Nec lupus insidias commisso tendat ouili,
Sed densas subter salices ad flumina Mosæ,
(Ingentis Mosæ, quo non felicior amnis)
Securos potent latices. secura pererrent
Gramina, calesti semper gemmantia rore.
Quod si forte aliquas, vt magno in corpore, tristi
Correptas morbo scabies inuaserit atra,
Aut fidis procul à stabulis malus egerit error,
Tunc præferre Crucem, quæ spes est vna salutis,
Sanguinis & Christi fluuio mersare salubri
Cura sit, vt redeant septis, & signa sequantur
Deposita læta illuuie, & prurigine tetra.
Sed iam tempus equos lugubri inducere campo,
Liberaq; effuso permittere frena dolori.

TER *postquam vndenos vita compleuerat annos*
Ex quo virgineo de corpore Christus in auras
Prodiit, æterni soboles æterna parentis,
Hinc instare graues casus atque aspera multa
Prospiciens, metuensq; suis, ne forte remisso
Imbelles animo tanta sub mole fatiscant,
Ipse suas ignominias, sæuosq; dolores,
Verberaq; , & mortem nullis ambagibus vtens
Prædixit, monuitq; vires constanter & ipsos
Dura pati, caloq; viam affectare ferendo.
Ast illos nondum dociles, meliora precatos,

Fallit amor. Diuersa etiam tunc mente fouebant
Præmia. Sed nec erat quisquam qui credere posset
Admitti tam grande nefas, ille ille suorum
Perfidia ut caderet fessis qui venerat vltrò
Porgere rebus opem, & miseris solatia terris.
Tres igitur comites, fidissima pectora, toto
De numero legit. His altum stipatus abibat
In montem, magno facturus vota parenti.
Quò simul ac ventum, vix dum cælestibus ora
Soluerat alloquiis, subito tremere omnia motu,
Audiri fragor, ac puro vaga murmura cælo.
Tum verò æthereis latè loca fulgere flammis
Aduentante Deo, quem circum exercitus ibat
Cælicolûm, auratis persultans aëra pennis.
At socij attonita subita ad miracula mente
Horrescunt trepidi, gelidos stupor alligat artus,
Genua labant. Nec stare loco, nec tendere contrà
Mortales possint visus, ni prouocet ipse
Omnipotens, tantumq; oculis aspiret honorem.
Ergo animi pulsis tenebris, iam luce serena,
Ecce duos inter proceres, clarissima vatum
Lumina, narrantes quæ mox ventura trahantur,
Legiferum Mosem, præcinctum cornibus aureis,
Qui vada nudauit pelagi sistentibus vndis,
Heliamque, ardens quem vexit ad æthera currus
Calcantem siccis vndantia flumina plantis,
Ipse ingens, ipse ante homines pulcherrimus omnes
Conspicitur. Splendent vestes candore niuali,
Ars qualem occultis non temperet vlla venenis.
At facies instar Solis cum mane recenti
Ambrosium nitido spirans de vertice odorem
Iungit equos, lucemq; ferens, & gaudia terris.
Talem se fulgens candenti in nube ferebat,
Æternæ simulacra ciens verissima vitæ,
Digna Deo soboles, magnum patris incrementum,

Cum ſubitò æthereas venit vox miſſa per auras,
Hic mea progenies, mea magna & ſola voluptas.
Hunc audite viri, & mea credite iuſſa ferenti.
Nec plura. Applaudunt Superi, ſimul alta pateſcit
Ingenti latè ſonitu ſtellantis Olympi
Regia, natiuis tranſlucens aurea gemmis.
Ipſe noua attonitis ſpecie quo ſueuerat ore
Reddit ſe ſociis, verbisq́; affatus amicis
Viſa vetat vulgata leues efferre ſub auras.
Firmatis ſic deinde animis ſtudiisq́; ſuorum,
Quos nempe eximio dilectos ſemper amore
Iam deſignato vellet ſuccedere regno,
Quo propius dura ſentit luctamina mortis,
Hoc maiora palam promens miracula, ſeſe
Iam magis atque magis diuina ſtirpe creatum
Prodit, & immenſis cælum virtutibus æquans,
Quanquam ingens fama, factis ingentior exit,
Egregium cœptis cupiens imponere finem.
Sic & Apellæa quicunque probatus ab arte
Siue hominem, ſeu fortè Deum deſcribere ſollers
Optat, & æternum ſacrare in ſæcula nomen,
Cum ventum ad ſummũ eſt, cum iam manus vltima totum
Ponit, vt innexi conſpirent molliter artus,
Tunc tunc præcipuè mens irrequieta laborat,
Et ſocio dextram ſtudio curaq́; fatigat,
Nequid hiet, nequid ſibi diſcrepet, omnia viuant,
Omnibus & conſtans numeris mirabile viſu
Surgat opus, laudemq́; ferat, plauſumq́; magiſtro.
Poſſem equidem (nec vana fides) portenta referre
Innumera, vt pulſæ moribundo corpore febres,
Pulſus hydrops, lenta depaſcens viſcera tabe,
Obſcœnisq́; elephas deformans ora lituris.
Quid vincta toties abrupta ſilentia linguæ?
Nunc ſurdis adaperta aures, nunc reddita cæcis
Lumina, nunc recto claudis veſtigia talo?

Quidve

Quidve quod extincto dudum torpentia sensu
Protinus infuso caluerunt membra vigore,
Et fluor ille cruoris apertis vndique venis
Deproperans tactæ cessauit munere vestis?
Nec sileam Infernis tot libera pectora Diris,
Cum malus humanos qui spiritus obsidet artus
Ad Stygios remeare lacus, noctemq; profundam
Cogitur. Ille quidem multa vi perfidus obstat,
Innectitq; moras, sed enim maioribus actus
Imperiis cedit tandem, vacuumq; relinquit
Corpus, & illidens terræ, versansq; supinum,
Horridus infirmi spumas agit ore fluentes.
Mox turpi inuisus specie, nigrantibus alis,
Teter, odore graui, fugit indignatus ad Vmbras.
Scilicet hæc cum sæpe aliàs primoribus annis,
Tum verò extrema iam nunc sub tempora vitæ
Sæpius ingenti spectata per oppida plausu
Arrectas hominum mentes oculosq; trahebant,
Et clarum Christi nomen super astra ferebant.
Nam neque Medeæ, claraq; Machaonis arte,
Aut magico pollens cantu, aut felicibus herbis,
Morborum pestes, & corpora fessa leuabat;
Sed verbo vt quondam Omnipotens terrasq; iacentes,
Atque æstum pelagi, cæliq; volubilis orbes
Produxit genitor, sic & genitoris imago,
Et decus, & virtus, & non dubitanda potestas,
Filius, humano quamuis se absconderet ore,
Cælesti quodcunque animo sedisset id omne
Præstabat verbo, factumq; erat ipsa voluntas.
Diuinum tamen vsqueadeo res nulla vigorem
Prodidit, aut æque populum stupefecit hiantem,
Vt quarto post fata die reuocatus ab Orco
Lazarus, æternæ facturus nomina famæ.
Tertius ille quidem tanto dignatus honore,
(Namque duos ante hunc alios abduxerat Vmbris)

Ast ea nota minus, magis hæc illustribus acta
Sunt studiis, magnoq; velut spectata theatro.
Nunc quoque si docti referantur carmine vatis,
Perculsas mira capiant dulcedine mentes.
Nos licet exili tentemus grandia plectro,
Lazarus antiqua genitus de stirpe, nec ipse
Degener, aut veterum nequicquam oblitus auorum,
Sed patriis crescens virtutibus, arua domumq;
Bethaniæ, haud procul a Solymis, atque ampla tenebat
Prædia, condecorans parili sua stemmata censu.
Non tamen aut modicos tumidus despexit amicos,
Aut vafer occulta decepit fraude clientes.
Commodus, & facilis, quas Numine repperit æquo
Innocuas seruabat opes, certare paratus
Officiis, nec se vinci passurus, & vltrò
Auxilium cuicunque volens laturus egenti.
Huic geminæ, pariter virtute & sanguine iunctæ,
Germanæ, Martha & Maria, haud obscura per orbem
Nomina, præstantes & forma, & moribus ambæ,
Fraternum irrupto seruabant fœdere amorem.
Illa sed assiduè variis exercita curis,
Atque intacta manens, vincloq; auersa iugali,
Remq; domumq; omnem magna cum laude regebat.
Altera, quæ primos indulsit amoribus annos,
Postquam est ætherei blandis correpta magistri
Vocibus, & monitæ melior sententia sedit,
Cessit & ille malus Genius, suasórque malorum,
Lustratam fugiens cælesti lumine mentem,
Ex hoc grata quies, & sanctæ pabula vitæ
Otia, non citharæ cordi, mollesq; choreæ.
Christum amat, absentem quamuis auditq; videtque,
Hoc vnum meditans opus, vt mens apta magistro
Seruiat, æternæ succensa cupidine vitæ.
Hæc igitur tam casta domus, sanctiq; Penates
Excepere Deum hospitio. Nec lætior vsquam,

quando immodico lassarat membra labore,
Diuertit, placitæ sumens solatia mensæ.
orte etiam magno dum cæna paratur amico,
t soror officiis trepidans vernalibus instat,
lla suo vigilem seruans sub pectore flammam
Ad domini reuoluta pedes, secura laborum,
ermanæ, fratrisq; sui, dicentis ab ore
Pendet, & arcanis animum sermonibus explet.
elix ô nimium felix, quæ iudice Christo
Tarda laboranti tamen est prælata sorori,
sta quòd incertis errans vt sedibus hospes,
Nil firmum propriumq; diu solidumq; teneret,
lla vni coniuncta Deo, qui continet vnus
Omnia, qui cælum voluens immobilis hæret,
Hunc vnum saperet, nil extra hunc triste timeret;
Non magis ac tumidos cautes altissima fluctus.
Languidus interea morbo tentatur acuto
Lazarus, & medicis nil promittentibus ingens
Exoritur luctus. Sed spem tenuere sorores
Pelli posse malum si præsens adforet ille
Qui mala vel solo depelleret omnia nutu.
Ergo trans patrij Iordanis protinus amnem
(Namque ibi Iudæam fugiens tunc Christus agebat,
Tinctus vbi quondam fuerat lustralibus vndis)
Mittitur ægroti casum qui mestus amici
Nunciet, & dubiæ narret discrimina vitæ,
Vota silens. neque enim precibus locus est vbi regnat
Verus amor, cui sponte subit succurrere amato.
Ille autem afflicti sortem miseratus acerbam
Letiferum negat esse malum, diuinitus ægro
Immissum, non sponte sua, quò fama per orbem
Cresceret hinc laudesq; suæ, laudesq; parentis.
Tertia sed postquam claro lux fulsit ab ortu,
Rem sociis aperit, dormire professus amicum.
Illuc se properare, ac velle abrumpere somnum,

Cumq;

Ast ea nota minus, magis hæc illustribus acta
Sunt studiis, magnoq́; velut spectata theatro.
Nunc quoque si docti referantur carmine vatis,
Perculsas mira capiant dulcedine mentes.
Nos licet exili tentemus grandia plectro,
Lazarus antiqua genitus de stirpe, nec ipse
Degener, aut veterum nequicquam oblitus auorum,
Sed patriis crescens virtutibus, arua domumq́;
Bethaniæ, haud procul a Solymis, atque ampla tenebat
Prædia, condecorans parili sua stemmata censu.
Non tamen aut modicos tumidus despexit amicos,
Aut vafer occulta decepit fraude clientes.
Commodus, & facilis, quas Numine repperit æquo
Innocuas seruabat opes, certare paratus
Officiis, nec se vinci passurus, & vltrò
Auxilium cuicunque volens laturus egenti.
Huic geminæ, pariter virtute & sanguine iunctæ,
Germanæ, Martha & Maria, haud obscura per orbem
Nomina, præstantes & forma, & moribus ambæ,
Fraternum irrupto seruabant fœdere amorem.
Illa sed assiduè variis exercita curis,
Atque intacta manens, vincloq́; auersa iugali,
Remq́; domumq́; omnem magna cum laude regebat.
Altera, quæ primos indulsit amoribus annos,
Postquam est ætherei blandis correpta magistri
Vocibus, & monitæ melior sententia sedit,
Cessit & ille malus Genius, suasórque malorum,
Lustratam fugiens cælesti lumine mentem,
Ex hoc grata quies, & sanctæ pabula vitæ
Otia, non citharæ cordi, mollesq́; choreæ.
Christum amat, absentem quamuis auditq́; videtque,
Hoc vnum meditans opus, vt mens apta magistro
Seruiat, æternæ succensa cupidine vitæ.
Hæc igitur tam casta domus, sanctiq́; Penates
Excepere Deum hospitio. Nec lætior vsquam,

ando immodico lassarat membra labore,
rtit, placitæ sumens solatia mensæ.
etiam magno dum cœna paratur amico,
ror officiis trepidans vernalibus instat,
uo vigilem seruans sub pectore flammam
domini reuoluta pedes, secura laborum
nanæ, fratrisq́ sui, dicentis ab ore
det, & arcanis animum sermonibus explet.
c ô nimium felix, quæ iudice Christo
da laboranti tamen est prælata sorori,
quòd incertis errans vt sedibus hospes,
firmum propriumq́ diu solidumq́ teneret,
vni coniuncta Deo, qui continet vnus
nia, qui cœlum voluens immobilis hæret,
c vnum saperet, nil extra hunc triste timeret,
n magis ac tumidos cautes altissima fluctus.
guidus interea morbo tentatur acuto
arus, & medicis nil promittentibus ingens
ritur luctus. Sed spem tenuere sorores
li posse malum si præsens adforet ille
i mala vel solo depelleret omnia nutu.
otrans patrij Iordanis protinus amnem
amque ibi Iudæam fugiens tunc Christus agebat,
ctus vbi quondam fuerat lustralibus vndis)
ittitur ægroti casum qui mæstus amici
unciet, & dubiæ narret discrimina vitæ,
ta silens. neque enim precibus locus est vbi regnat
rus amor, cui sponte subit succurrere amato.
autem afflicti sortem miseratus acerbam
tiferum negat esse malum, diuinitus ægro
missum, non sponte sua, quò fama per orbem
esceret hinc laudesq́ suæ, laudesq́ parentis.
ertia sed postquam claro lux fulsit ab ortu,
em sociis aperit, dormire professus amicum.
uc se properare, ac velle abrumpere somnum.

Cumq́

Cumq; illi somnum sperarent prosore, molli
Quem ducens lecto vires repararet, herumq;
Iudæis tutò se credere posse negarent,
Mortuus est (mortis somnum nam dixerat antè)
Lazarus. Et cessamus adhuc? Sed nomine vestro
Lætor, ait. Vobis post hac fiducia nostri
Maior erit, dabiturq; ingentia cernere facta,
Facta meum latè cunctis testantia numen.
Nec vos insidiæ moueant fraudesq; malorum
Dum fulgente diem curru sublimis ab alto
Sol agit, & spirant diuini luminis auræ.
Nam qui carpit iter manifesta in luce viator
Certus inoffensò pergit pede, nocte sed idem
In tenebris trepidans haud vnquam incommoda vitat.
Sic memorans iter accelerat, comitum simul omnis
Turba venit. Mortem veriti, & tamen ire parati
In mortem, subeunt animo discrimina tristi.
Iamq; propinquabant portis, cum Martha repente
Audit adesse virum. Mora nulla, celerrima tectis
Euolat, occurritque simul, simul ore profatur,
Hanc domine hanc præsens poteras auertere mortem
Fratris, & insano pariter nos soluere luctu.
Quanquam ô. nam quæcunque Deum tu munera posces,
Rem factam dabit, & precibus pater annuet æquis.
Cui Christus, Frater tuus hic ô Martha resurget.
Non equidem ignoro, sed tunc (sic rettulit illa)
Cum suprema dies collatis corpora membris
Aspiciet tumida rediuiua exurgere terra.
Ille iterum, gaudens ea quòd responsa dabantur,
Muneris est hoc Martha mei. Sum vita, salusq;
Certa resurgentum. Quod spe quicunque tenaci
Crediderit superest etiam post fata, nec vnquam
Interit. Hæc ne tibi de me fiducia surgit?
Surgit, ait. tu namque Dei certissima proles
Venisti tandem, & mundo succurris egenti.

ita leni properans pede tendit in vrbem
nam blandis cupiens perducere verbis,
ni fusis residebat mœsta capillis,
rror ingrediens, Presto est quem quærimus, (inquit)
ocat. Surgit subitò, paretq́ vocanti.
uam in conspectum venit, suffusa rubore
it timidè, totidemq́ quot altera verbis,
crymas in vota vocans, genibusq́ voluta,
gemitum, atque alto ducens suspiria corde,
domine hanc præsens poteras auertere mortem
s, ait. Nec plura loqui luctusq́ sinebat,
dor, & tanti reuerentia summa magistri.
ulit hanc Christus speciem, miseratus amicos
it, & lacrymis rorantia proluit ora,
nit, & miro turbatur viscera motu.
x autem toto consurgens numine mentem,
, & nullo prius vnquam tempore signa
manifesta dedit monstrans hominemq́ Deumq́.
frequens aderat Solymis excita propinquis
a virûm mæstis veniens solatia rebus
re, & alloquiis magnum lenire dolorem.
non Bethania ciues cum fortè viderent
isso pariter germanas tendere passu,
derant sese comites, sollennia tristes
 rati lacrymis madefacta inferre sepulcro.
nto in numero studium non omnibus vnum.
ri namque boni linguis animisq́ fauebant,
guttis caruere genæ, & quia cognita pridem
na viri virtus, etiam sperare libebat.
ra vipereo pars mentem imbuta veneno
quam voluens aciem, vultumq́ malignum,
assans caput, Hic (inquit) hic scilicet ille est
lere fortuitò potuit qui lumina cæco,
potuit caro vitam producere amico.
i in conuentu, magna cingente corona,

Altior

Altior ingrediens cælo dux missus ab alto
Monstrari tumulum, & tumulo superaddita saxa
Auferri iubet. Hic iterum nimis anxia Martha
Iam quartum fluxisse diem, iam viscera putri
Conceptam tabo monet exhalare mephitim.
Ille leuem verbis castigans æquus amicis,
Quid struis? aut quò nunc (inquit) fiducia cessit
Tanta mei? Non te dixi, modò credere velles,
Visuram ætherei sit quanta potentia regis?
Sic fatus, superasq; oculos intentus ad oras
Ostia dum magni referant obstructa sepulcri,
Rupe quod excisum vasta sub mole latebat,
Æternum clara compellat voce parentem,
Nunquam ego te genitor nunquam in mea vota vocaui,
Quin facilem nati precibus porrexeris aurem.
Semper ades, semperq; mihi tua certa voluntas,
Et mea stat firma nitens vi conscia virtus.
Non ideò tamen hoc iterum pro munere grates
Nunc agere, atque tuum cessabo poscere numen,
Sic norint homines vt te genitore creatus,
Te mittente vagum veni legatus in orbem.
Talia dum memorat circùm tremere omne repentè,
Et mugire solum. Stat consternata pauore
Turba silens. Fremit ille, & Manes voce ciendo
Lazare conclamat superas te Lazare in auras
Siste palam. Qua voce Dei concussa dehiscunt
Tartara, soluuntur fatorum iura, nec atræ
Omnia concedunt morti. Diuellitur Orco
Perfusos leti qui frigore liquerat artus
Spiritus, & celeri sparsus per viscera motu
Purpuream venis animam, neruisq; vigorem
Reddit, & extinctos feruens sub pectore sensus
Suscitat. Aufugiunt macies pallorq; situsq;,
Nullaq; præteriti remanent vestigia morbi.
Obstupuere omnes nullo tangente moueri

Exani-

mum. Sed enim tumulo se viuidus ipse
it, ut positis postquam simul exuit annos
ior exuuiis se in gyrum colligit anguis,
ite, & summa testatus gaudia cauda.
epulcrales nexæ per crura manusq;
læ obstabant, socij quas soluere iussi
ulerunt. Mox ille cauo liberrimus exit,
se facies coram spectantibus offert.
quid agit, quidquid loquitur, quocunque mouetur,
us est, atque esse liquet, licet ipse negaret.
ait, & veteres gaudens agnoscit amicos,
reasq; inhians auidè depascitur auras.
in & Stygio narrans comperta barathro,
emitu, quàm sæua ferant tormenta nocentes,
q; pij Manes sperent mox adfore regem
ilio, ferrata Erebi qui claustra refringat,
tur puros scelerum vestigia Christi
equi, certamq; hinc expectare salutem.
us it magnam Solymorum fama per vrbem,
olùm patulas rumoribus occupat aures,
subit, mentemq; animi percellere victrix
t, & immenso Christi succendere amore.
e viri facies subit, & regalis imago,
Deo, incessusq;, habitusq;, & gratia blandi
nis, quocunque potens inflectere duros,
cet aut ferro, aut rigido de robore sensus.
etiam anteactæ repetunt miracula vitæ.
, quibus magnum latè compleuerat orbem,
præcipuè, coctæ cum munere frugis
o, ac paucis (& erant ibi forte reperti)
ulis, populo in turmas discumbere iusso
i per irrigui redolentia gramina campi,
us opum dapibus tot millia pauit inemptis,
nis cumulans restantia frusta canistris.
quoque, inexhausta capti dulcedine cenæ,

Sperantes

Sperantes victu facili nulloque labore
Liberam & immunem tali sub Principe vitam,
Ausi sunt studio regem sibi poscere inani.
Iamq; nouos cultus atque ornamenta parabant,
Impositum rapturi humeris, ipse auia montis,
Et solus loca sola petens, mortalia fugit
Sceptra, pro subigens animos, non corpora regno.
Hos populo stimulos postquam addidit inclita fama,
Idem omnes iterum ardor habet. Concurrere cernas
Hinc atque hinc, nec ferre moram, iuuenesq; senesq;.
Erumpunt portis, iuuat ire, ipsumque tueri
Auctorem tantorum operum, iuuat antra subire,
Atque omnem lustrare locum. Tum si quis adesset
(Vt plures aderant) qui non audita referret,
Sed fidis spectata oculis, hunc dicere cuncti
Felicem, atque auidè scitari singula. Quæ cum
Paresset narrare atque auscultare voluptas,
Nulla quies, eadem decies repetita iuuabant
Nec saturas sermone aures, nec lumina visu.
Talibus intenti studiis blandoq; labori
Dum gaudent, oculosq; ferunt per cuncta vagantes,
Ipse vltrò, cupiens Christi increbrescere nomen,
Nec non impulsus monitis precibusque suorum,
Egrediturq; domo, campisque incedit apertis
Lazarus, & magni velut intra septa theatri,
Ingenti latè sonitu plausuque fauentum,
Stans cœtu in medio, & populo Patribusque fruendum,
Se prabens, latosque humeros, robustaq; colla
Attollens, alacri prodit sua gaudia vultu.
Tum quocunque pedem circumtulit, agmine facto
Huc omnes, motis velut vnda impellitur Austris,
Incumbunt, pariterq; oculis, animisque sequuntur,
Infernis auidi reducem cognoscere regnis.
Sic quondam Eois ales Titanius oris,
Flagrantes inter casias, & pinguia tura

itor ipse sui solus sine matre creatur,
ireus Phœnix, prima florente iuuenta
fines linquens patrios, vbi surgit anhelis
us equis, Pharios tendit nouus hospes in agros,
nera glomerantur aues plaudentibus alis,
ranturq́; ducem. Gemina stant vertice criste,
micant oculi, collum circumdatur auro.
nt cærulea per terga, & pectora plumæ.
a rosis, sparsisq́; nitet pulcherrima gemmis.
ona insignis specie caua nubila tranat
us, ac tandem conspecta Hyperionis vrbe,
tulerat cunasq́; suas, bustumq́; parentis,
pla petens, sacris infert ea munera flammis.
ibit, & motis eadem trahit agmina signis,
as volucrum turmas, gentemque sonoram.
ue hæc magna quidem, maior tamen orta fuisset
ia inuento (solus nam defuit) illo
oterat Manes arcessere faucibus Orci,
ribusq́; animas iterum insinuare sepultis.
ietiam audito loca quod deserta petisset,
ias fugiens mortesq́; & vincla minantum,
fere animis, pœnas odiumq́; parati
re in auctores, atque huic transscribere regnum.
era sæpe etiam iactabant verba per vrbem,
agno pariter cœpere efferuere motu.
mora, conueniunt proceres queis prisca tueri
patrum, ritusq́; sacros, legesq́; sacrorum
fuit, nam cetera tunc Romanus habebat,
id facilè Isacidûm passurus surgere gentem
erio, sceptrumq́; & auita capessere regna.
neque concilij ratio, nec fas erat vllum.
m damnare aderant, non disceptare parati,
forte aliquis proferret libera verba,
ntem indicta metuens malè perdere causa,
nc, tanquam sacer, ac lege intestabilis esset,

Arcentes pariter fœde in ſcelus omne ruebant.
Ac velut emiſſi ſæua ad ſpectacla leones,
Vrſiq́, tigresq́, & quicquid Barbara quondam
India Romanæ nutribat, & Africa arena,
Vt Martis populus ſaturatos ſanguine multo
Aſſueſcens oculos atrocior iret in hoſtem,
Vnà omnes immane fremunt, damnataq́, triſti
Corpora depoſcunt leto, furit ardor edendi
Improbus, & ſiccis glomerat ſub faucibus iras;
Haud aliter mentem flammata cupidine tetra,
Inuidiaq́, , odioq́, graui ſine more furentum
Turba Sacerdotum ſcelerato fœdere Chriſtum
Opprimere inſidiis, aut vi, per faſq́, nefaſq́,
Deſtinat. Et iam tum peragit ſcelus impia iuſtum
Impia lingua necans, ſerpente nocentior omni,
Sibilaq́, & tales dum vibrat ab ore ſagittas,
Hiccine qui noſtris ſemper conatibus obſtat,
Commodaq́, auertens, & quos ſperamus honores
Ipſe intercipiens, nos, noſtraq́, liuidus odit?
Hoccine adoratum populo caput? At faber illi
Eſt genitor, quamuis cælo diuinitus ortum
Se fingens, magico captas ità carmine mentes
Alligat, atque oculos obiectis faſcinat vmbris,
Viribus vt Stygÿ pollens atque arte tyranni
Mille opifex rerum ſtupeat quas inſcia turba,
Quacunque incerto rapitur pede, (nam Laris expers
Pauperiem, & magni ſimulat faſtidia cenſus)
Non vnquam incomitatus eat, popularia ſecum
Agmina tota trahens læto acclamantia plauſu.
Tali ſe regnare videns benè tutus in aula
Dum tonat eloquio, ſua dum conuicia fundit,
Atque ipſos dictis proceres inceſſit amaris,
Nos facit inuiſos, & quò magis improbus vrat,
Contemptos etiam, ac vili ludibria vulgo.
Idq́, impune ferat? Nos ambitionis, & atræ

Damnat

sat auaritiæ, nos illo iudice sanctas
nus vt libitum est priuata ad commoda leges,
nesq; operum contemptoresq; sacrorum
mus populum quo nosmet fasce leuamus,
ri, immites, & semina dira luporum,
biem niuea celantes vellere lana.
ue ferali pregnans nos vipera partu
t, & Stygiis genuit qui præsidet Vmbris,
ûm cupidos miserè disperdere gentem,
e omnes nostra simul inuoluisse ruina.
Dei soboles cælo descendit ab alto,
qui veriq; tenax, morumq; magister,
e inculpata certissima regula vitæ,
id non aliud? si de se credimus ipsi.
ltis studiis, & multo callidus astu
egnum prætentat iter. Plebs denique regnum
lit. Et tantum patimur scelus? O vbi prisca
gio, sanctiq; patres, atque inclita Mosis
ia? Quò tandem miseri peruenimus? Ille
regat, & solio spernat sublimis ab alto,
m neque fabrili victum si rursus ab arte
rat inops oculis vnquam spectabimus æquis?
amen (vt credunt quos spe frustratur inani)
c venisse monent hunc ipsum oracula regem,
limem imperio regem, qui sæcula condat
rea & æternis moderetur legibus orbem.
ecas hominum mentes! Concurrite templis,
estos agitate dies, præcingite postes
ndibus, absistant curæ duriq; labores,
omnes cumulabit opes. Quem quærimus hic est,
azaræ eductus tenebris, & patre pudendo.
iem multo gaudere mero, lautoq; paratu,
amesq; hominum prauorum accedere mensas
tis fœdum manibus, non vlla tenentem
bata, nec veterum seruantem iussa parentum

Scimus, & incestas pœna soluisse maritas.
Sit vindex igitur patriæ, tutorque, paterque,
Et latè sua signa ferat legesq; per orbem.
Nos (si quid sapimus, si quid ratione videmus,
Atque aliquis toto superest in corpore sensus)
Hunc nisi supplicio, & plebem terrore vetamus
Has turbas facere, & tanto concurrere motu,
Romulidæ infestis aderunt sub Cæsare signis.
Qui regem, & regis grauiter mulctatus amicos,
Inuisam crebris hanc seditionibus vrbem,
Nec minus inuisam ignoto sibi Numine gentem
Perdet, & hostili populabitur omnia flamma.
Istius hic finis regnorum, hic terminus esto.
Talia commota iactabant mente per auras
Hinc atque hinc, gliscente feris clamoribus ira,
Pontificis summi cum maiestate verendus,
Vittisq;, & sacra redimitus tempora mitra
Purpureus Caifas, vulpino callidus astu
Occultare nefas, verumq; obtendere falso,
Aurato surgens solio, postquam alta repressit
Murmura, Quid longis opus est ambagibus (inquit)
Singula culpatæ disquirere crimina vitæ,
Et veterem dictis toties renouare dolorem?
Quo res nostra loco, quæ sit fortuna videtis.
Vnius ob factum patimur, nos vnius omnes
Causa premit, nec scitis adhuc quid postulet vsus?
Consulite in medium ciues, sint publica semper
Priuatis potiora bonis. Incendia vidi
Sistere vicini detracto culmine tecti.
Nos quoque sublato, qui cunctis officit, vno
Nos meliora manent. Nec refert ater, an albus,
Sit quicunque volet. Nunquam pars corpore toto
Dignior vlla fuit. Ne gens simul occidat omnis,
Vnum auferte caput. Quid enim? Ceu cæsa per aras
Victima votiuo placabit sanguine Numen.

gite, hoc egisse omnis lætabitur ætas.
rat. Sequitur plausus, clamórque probantum
viri. Non illa suo tamen edidit ore,
ua Pontificis sacrum tunc munus obibat,
us æterno manans de lumine mentem
uit, & arcana lustrans vi pectora cæca,
tros subigens sensus, rabida ora coëgit
oqui, & cælo dignas prorumpere voces;
ro vt liquidi saliant si marmore fontes,
em Gorgonei fertur fudisse caballi
la, fatidicis spargentem viscera lymphis)
umentum ingens, possint quo nosse nepotes
ta Sacerdotum stet gratia, quanta potestas,
superi sibi delegit regnator Olympi,
um terris, terrasq; innectere cælo
rum virtute queant, licet vsque negarit
ia, & nigris erumpens faucibus Orci
bili sectum rabie quæ nunc quatit orbem
ida mortiferi nutrix discordia belli.
em igitur sacri figunt consulta Senatus,
pœna munita graui concurrere vulgus,
us fieri, rebusq; instare nouandis,
sectas agitare nouas, super omnia Christi
sequi, moresq; atque impia iussa vetabant.
oniam absentem, nullo accusante, nec vllis
nare indiciis Patres non vlla sacratos
gio vetuit, tanquam si causa peracta
öret, vt citius sæuire in corpore possent,
ue explere graues pœnis vltricibus iras,
ia si quis eum latebris educat opertis
m loca secretis peragrabat proxima siluis)
sum statuunt. quis enim nisi sponte sequentem
eret? Idq; palam toties monstrauerat antè,
ine cum medius saxisq; armisq; minantum
e caua, ceu nocte, lupos euasit hiantes.

Sed quid agas postquam periit pudor? Effera mentem
Abstulerat rabies. Et nulla immanior vsquam
Belua vel sæuit siluis, vel atrocior vndis,
Quàm cælo cognatus homo, rationis egentem
Cum rapit impatiens magni vindicta doloris.
Nec Christum latuere doli, quibus omnia vidit
Vidit & hæc oculis, & quanquam defuit index,
Nec clausis vnquam, nec surdis auribus hausit.
Sed tamen e latebris humano more petitis
(Ecquis enim prudens rabido se obtruderet hosti?)
Prodit in apricum, quò se demonstret acerbam
Posse quidem, sed nolle, suo iam tempore, mortem
Effugere, & sæuos vltrà differre labores,
Et iam tristis hiems squallentia texerat ora
Vere nouo, cum turget humus, cum Sole recenti
Mille trahunt varios fragrantia prata colores,
Mille sonat variis auium concentibus æther,
Nec procul ille dies toto celeberrimus anno
Tunc aberat quem Pascha vocant, rituq; parentum
Mirifice coluere sacrum. nam tempore eodem
Abrami soboles, longi pertæsa laboris,
Attritam damnis & prodigialibus olim
Suppliciis spreti sæuas ob Numinis iras
Ægyptum fugiens, atque impia regna relinquens,
Cum grauis infesto premeret rex milite terga,
Et maris obstarent trepidis a fronte procellæ,
Euasere tamen. Medio dux gurgite Moses
Diuulsa attollens hinc atque hinc agmina aquarum,
Ceu vitreos subter scopulos proiectaq; saxa
Trans vada sicca leui populum pede duxit ouantem,
Conantemq; sequi, cædesq; inferre tyrannum,
Armaq;, quadrupedesq; simul, currusq; minaces
Obruit, immissis quas antè reduxerat vndis.
At pulchris aucti spoliis ac diuite gaza
Isacidæ optato potiuntur litore læti,

s ingentes cœptis ingentibus æquant.
lo, quò nota magis sit gloria facti,
daq; æternum fama extendatur in æuum,
tquot eunt celeres voluendis orbibus anni,
ense suo, pulsis Aries quando aureus intrat
bus, & spatiis nox lucem intercipit æquis,
bis septeno vaga Luna accreuerat ortu,
lideratq; diem clauso iam vesper Olympo,
ere erat Patresq; simul populumq; tributim
etenim Phariis gens olim excesserat oris)
inctos, crudoq; ad iter perone paratos
luere, & positis astantes ordine mensis
restes inter lactucas, libaq; nullo
gida fermento (iussis exire profanis)
iculum maculis pariter vitioq; carentem,
ostum flammis absumere morsibus agnum,
ptem immunes operum transmittere Soles.
c igitur tam læta dies vrgebat, & acri
lique concursu populos cogebat in vrbem,
rgati scelerum votis sacrisq; peractis
uri vt diis possent se adiungere mensis,
n graue dissidium variis sermonibus ortum
cissent quòd abesse virum, quem cernere cuncti,
sparibus quanquam studiis multumq; remotis,
debant pariter. Sed enim pars adfore dixit,
returumq; minas, pars indignata negauit.
e autem innocuo mitiq; simillimus agno,
onte sua sacras circum qui ducitur aras,
nturus Solymam decimæ sub tempora Lunæ,
ollere tunc etenim legis præscripta iubebant
uem quarto post quisque die consumeret agnum)
thania paulùm, caros visurus amicos,
bstitit, & nota mansit Simonis in æde,
ui, licet immundam pepulisset corpore labem,
eprosi tamen in vulgus cognomen adhæsit.

 Hoc

zitur laudemq; feret noménque decusq;.
r & ob meritum toto celebrabitur orbe.
ij cedunt monitis, peccasse fatentur,
ius subit ora pudor. Sed solus Iudas
rius, loculos solitus gestare magistri,
pi sacros furto interuertere nummos,
lens, nulloq; rubens in crimine, perstat
t adhuc, fœdoq; tumens obmurmurat ore.
ptumq; dolens sibi quod se poscere egenis
t, & insano vindictæ accensus amore,
variis agitat lucrum quâ penset ademptum
iis, nec sese explet tam dira cupido,
emò quoniam tali spes nulla peculi
omino, dominum quærenti prodere turbæ
ficum, & pactis insontem addicere nummis
nat, infandum aggrediens scelus. Hora, locusq;
it. At non deerit, ait, Fortuna labori.
mora, nec requies, aurum noctesq; diesq;
at, & reputans sperati commoda census
lautum, iam se nitidum fingitq; beatum
cius instantis fati, mortisq; pudendæ,
m sibi proiecto consciscat turpiter auro,
rnis Stygio addictus sub gurgite pœnis.

LÆVINI TORRENTII DE CRVENTO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SACRIFICIO.

LIBER II.

IAMQVE exempta fames, ablataq; pocula mensis,
Et bona pars noctis sermone absumpta benigno
Suadebant dulci componere corpora somno.
At verò humani generis seruator Iesus
Aspera multa suo tristi sub corde volutans
Tam quæ pertulerat, quàm quæ ventura sequantur,
Ne quid inexpertum linquat quo flectere duros
Posset, & vnanimes æterno iungere regno,
Se regem monstrare volens, Dauide creatum,
Sed cupidum pacis, qualemq; oracula dicunt,
Mansuetum facilemque, & lenia iussa ferentem,
Postera cum croceo surgens aurora cubili
Rorantes primo sparsisset lumine terras,
Et sociis simul & paucis comitatus amicis
Ad Solymos contendit iter. Via parua, sed antè
Assuetus nudis pedibus, tunc rure propinquo,
Missis præcipue qui censebantur honore.
Adduci vinctum e biuio (ibi mandat asellum
Intactum sessore, & adhuc cum matre manentem.
Quos postquam dominis non obluctantibus illinc
Abductos stratis ornarant vestibus ambos,
Terga premens pulli (quo regna nouissima primis,
Et patriæ antiquæ sobolem præferre recentem
Creditus est signo) medio dux agmine cunctis
Celsior it. Nec plura suo instrumenta triumpho
Comparat. Illa aderunt non arte, aut sumptibus vllis,
Sponte sed agnoscent æternum cuncta parentem.
Fama, nouis semper trepidans præcurrere rebus,
Hesternæ festas epulas & gaudia mensæ,

Conuiuas

iuas etiam, quos inter Lazarus ille,
d vllos potis vnquam oculos explere videndo,
entumq́; ducis, quem, quòd latitare ferebant,
icere ingenti populus gestibat amore,
ludum tota passim vulgauerat vrbe.
mora, (siue viri virtus atque inclita facta,
is Natura, seu vis hoc numinis egit)
nontem postquam ventum est felicis oliuæ,
s supremo de vertice sancta videri
simul, & templi potuit veneranda vetustas,
ima quæ plenis proruperat obuia portis
ba nouum cernens sublimi vertice regem
litos inter plausus vocesq́; suorum
vti specimen cælesti effulgere vultu,
uocunque caput circumtulit agmine toto
undi æthereos oculis stellantibus ignes,
ta furore, sacros qualis sub pectore vates
anis agitat stimulis & verbere cæco;
latis cælo manibus, vultuq́; supino,
uatoq́; genu regem dominumq́; salutant.
c nuda patiuntur humo procedere, deni
adunt nemora, atque auulsis vndique ramis,
e oleæ, lauriue forent, palmæue comantes,
ornantq́; vias, & veste & frondibus explent;
chiaq́; intorti ramis, atque ora corollis
as studium vel cuique suum, vel copia fecit,
que vno simul ore nouum pæana canentes,
ectandum læti ducunt trans mœnia regem
on magno reducem bello, curruq́; superbum
urato captas monstrantem ciuibus vrbes,
rbaraq́; iniectis stringentem colla catenis.
on illi mens ista fuit, fera bella vetabat
cis amans, pacisq́; ferens mandata per orbem
ura pati, dura potius succumbere morte
uàm flagrare odiis sæuæq́; cupidine pœnæ

Iussit,

Iussit, & hac Erebi victor ratione tyrannum
Proruit, æternæ monstrans compendia vitæ.
Quin vbi iam portas, & proxima circumspexit
Mœnia congestis cælo minitantia saxis,
Tot moles tantorum operum, artificumq́, labores
Commoto voluens animo, venturaq́, pandens
Tempora quas iterent clades, quæ bella retractent
Romulidæ duri cum cinctam hostilibus armis
Tot claram ducibus, magnis tot regibus auctam
Vi capient, captamq́, ruent à sedibus vrbem,
Non tenuit lacrymas, meliora capessere ciues
Consilia, exhortansq́, suam curare salutem,
Si modò pœniteat scelerum, non despre Numen.
Dicta quidem memori & constanti mente tenenda,
Insano sed enim læti clamore fremebant,
Talibus attentas nec habebant vocibus aures.
Nos verò, nostrosq́, iuuet meminisse minores,
Nec pigeat precibus deflectere Numinis iram,
Quæ grauior quo lenta magis mortalibus instat.
At postquam populi viderunt gaudia tanta
Pontifices, accensi odiis, sæuoq́, furore,
Deterrere parant. Sed nec vi, nec prece blanda
Proficiunt. Pueri circum, innuptæq́, puellæ
Agglomerant, Patrumq́, minas & iurgia temnunt,
Quòque magis vetiti, magis applaudente corona
Sacra canunt non sponte sua. Puerilia soluit
Ora Deus Deus ipse. Et quis cælestia vertat
Consilia? Vt taceant homines, vel saxa loquentur,
Assurgentq́, Deo, quò sit manifesta potestas
Numinis, & prodat sese insuperabile verum.
Sollenni interea pompa iam penè peracta
Ventum erat ad templum, quò se dux ipse ferebat
Cælestis memor imperij. Quod condere iussus
Non celsas regum turres, aut ampla petiuit
Atria nobilium magno celebrata tumultu,

uod delegit superi regnator Olympi
lum angustum, ingens, & pretulit omnibus vnum,
ibit. Hac tali placuere palatia regi,
ando studiis animo cælestibus apta.
pater omnipotens certis non sedibus antè
s, & interdum fulgentia castra secutus,
ica succinctis quò venerat arca ministris,
ore Idumæis Solomon quo præfuit aruis
r, & nullis turbarunt sæcula bellis,
opus sancta sibi surgere iussit in vrbe
tis firmum cedris, auroq; decorum,
uitq; locum diuini Numinis illa
erras, cælumq;, & cæli sidera torquet
stas, quocunque æger quis fasce laboret,
vota, suæ si non aliena saluti,
cibus facilem promittens vocibus aurem.
ssis nec vana fides dum prisca manebat
citas, dum sacra pius castusq; Sacerdos
bat puris manibus, pastorq; præibat,
ulus secura sequens vestigia nusquam
at, septis nec declinabat auitis.
stquam antiquos obscœna pecunia mores
lit, & mentem scelere imbuit atra nefando,
n nulla gregis, sed habendi cura peculi
ïret, proprio & seruirent publica quæstu,
nec addictis pudor esset vendere nummis,
pascentis erat pecori quoque tristis adhæsit
mùm scabies, contracta ærugine tetra.
us amor sociis, nulla in commune voluntas,
dictis, factisq; fides. Sua cuique cupido
erat, & sibi quisque Deus. (Sic nempe necesse est
gio cum spreta iacet) Tu moribus istis,
scas, sperare queas placabile Numen?
c precibus locus est, tunc acceptissima templis
s feres, flexura Deum, mens conscia recti

Cum

Cum culpa vacat omni, aut si qua culpa remansit,
Eluitur lacrymis, gemitus planctusq́ sequuntur,
Atque imo sub corde dolor. Sic ardua cæli
Porta patet. Nec commissi pœna vlla timenda est
Cum iudex sis ipse tui, vitaq́ prioris
Pœnitet, & spondes melius. Confide, sed & tu
Tu quoque confer opem. Vana est fiducia nullis
Si meritis ornatus ades. Quæ maxima quanquam,
Tu pretium ne pone, Deo exploranda relinque.
Quicquid erunt, ille ingenti cum fenore reddet
Cum iudex aderit supera sublimis ab arce,
Præmiaq́ & pœnas statuet mortalibus æquas,
Lucis & ad campos, aut nigra in Tartara mittet.
Regni ergo ætherei reputans fundator Iesus
Quantum relligio attulerit contempta malorum,
(Relligio, quæ sola regit, quæ sola coërcet
Luctantes animos, pressisq́ inflectit habenis,
Et rerum fluctus tempestatesq́ serenat,
Tristia sedatis depellens nubila ventis)
Marmorei ingressus fulgentia limina templi,
Quos ibi deprendit pretio transcribere nummos,
Nec secus atque foro in medio mercesq́ pacisci,
Et pecora, & teneras soluenda ad vota columbas,
Vestibulo ex ipso rapiens sublime flagellum
Expulit, & loculos, mensasq́, omnemq́ paratum
Subuertit. Sparsi sinuosa per atria questus
Lugentum nummos, & verbera dura ferentum.
Nec tanto tamen in numero vel restitit vllus,
Carpere vel factum potuit. Mens conscia linguam
Pressit, & æterno reuerentia debita regi
Eximium licet inuitis extorsit honorem.
Tunc, Nostra hæc (inquit) votis sacrata, piisq́
Stat precibus domus. Hanc ausi scelerare, velut si
Latronum spelunca foret. Procul este profani,
Sit procul omne nefas, nec templi insistite limen,

Nec

edos inferte pedes, nec temnite Numen,
Étis iterum plaudit chorus. At mala turba
icum accensâ quamuis sic æstuat ira
lis ut ahena solent efferuere flammis,
sito tamen & vultu & sermone magistrum
lant, tantosque rogant compescere motus,
nere vt pueris permissa licentia crescat
ndi clamore vias. Ille abdita cernens
is, & infusum venis letale venenum,
os vsqueadeo puerorum nenia turbat?
escitis (ait) priscos sic tradere vates,
tes & adhuc pendentes vbere matrum
ta cecinisse Deo preconia laudis?
us, quò signa sui tum plura relinquat,
manifesta magis, media inter millia quotquot
laudi, aut aderant cæci, diuinitus omnes
, & optatum spargit per membra vigorem.
ant, aliosq; pedes, rerumq; colores
ntur, regisq; ferunt ad sidera laudes,
& ingeminant nomen. Ferit æthera clamor.
sed excelso serus quàm vesper Olympo
pitans magna tellurem inuolueret vmbra
stauratí perfunctus munere templi,
icens sese populo, sub lumina prima
niam redit, & noctem non amplius vnam
itibus, cenaq; breui, placidaque quieti
gens, iterum se matutinus ad vrbem
lit, inuigilans operi, regnisq; futuris
amenta locans quæ nulla absumpserit ætas.
atque aliâ manifestius luce reuisens
la Sacerdotes acri sermone notabat,
ta monens, monitisq; minas & iurgia miscens.
octurna piis impendens tempora curis
tis oliuiferi solus secreta subibat,
caros etiam extremùm visebat amicos,

Demul-

Demulcens placidis mærentia pectora dictis,
Nec temere infusum admittens per lumina somnum.
Ac vagus vt viridi prætexens margine ripas
In mare nunc tacito lenis pede labitur amnis,
Siluarum decus, ac vitrea pulcherrimus vnda,
Nunc latè hibernis niuibusq́ atque imbribus auctus
Exundat campis, atque atro vortice saxa
Saxa trahens, stirpesq́, domosq́, auulsáq́ rura
Fertur, & aduersum multa vi rumpit in æquor
Spumeus, altà sonans; (Celso stat in aggere pastor
Toruà tuens, glomerant densæ toto æthere nubes)
Haud secus æterni progressus ab ore parentis
Ipse patris Sermo, qui magnum vt condidit orbem,
Sic quatere & turbare potest & vertere fundo,
Maxima venturis post sese exempla relinquens,
Nunc molli alloquio, verbis nunc asper acerbis,
Sponte sua mitis, iusta sed feruidus ira,
Laudabatq́ humiles, castigabatq́ superbos,
Infestus vitiis, virtuti æquissimus vni.
Summus at ille labor, matrem cum multa dolentem,
Implentemq́ sinum lacrymis, vultumq́ decorum
Liquit, & afflictam solatus, tristis & ipse,
Ipse etiam ingentem fassus genitricis amorem,
Ingemuit, reputans quanto mæstissima planctu
Nati sit visura sui miserabile cunctis
Supplicium. Stat iussa tamen cælestia iam iam
Firmato complere animo, stat morte pacisci
Humani generis dura sub lege salutem.
Interea furiis trepidans formidine magna
Rex Erebi, cæcis loca qui torrentia flammis,
Et mersos atra semper caligine campos,
Feruentesq́ lacus piceo (res mira) cruore
Imperio tenet, & sontes sub gurgite vasto
Exercet variis, est vt sua cuique libido
Viuenti, nec cura subit commissa piare,

pplicijs, Tenues ſtridor ſerit horridus auras)
ncilium vocat. Immani ſtant agmine circum
uiſæ Lemurum facies, ſine corpore forma,
ualéſque aërij percurrunt nubila venti,
uos ſentire magis miſeri quàm cernere poſſunt
Mortales dum mole premuntur corporis ægri,
ec cadit in noſtros natura recondita viſus.
ſe in deformi cœtu deformior atros
rrori attollens oculos, præfixaq; fronti
rnua, nigranti ſemper ſqualentia fumo,
rà fremens, preſſiſque infrendens dentibus atrox,
d catus, & longo ſæclorum exercitus vſu,
ec ſingultanti tandem ſic protulit ore.
Ethereis olim fulgentes ſedibus, imos
unc miſſi ad Manes, quanquam illætabile regnum
rtiti ſumus vmbrarum noctiſque profundæ,
gnamus tamen. Et non hoc in carcere tantum
gnamus, terram mare quà circumdat & aër,
ſuper & fuluo luſtrat Sol aureus axe,
nnia ſunt noſtris iam peruia viribus, omnes
bdidimus latè populos, vrbéſque tenemus,
ſtque animas mira lactando ducimus arte,
s illo, has alio vinctas ad Tartara nodo.
ſe adeò vacua cæli ſe iactet in aula
ui nos exturbauit atrox, ſua fulmina mittat
rridus, & tonitru magnum labefactet Olympum.
t mundi certè imperium, licet abnuat vſque,
bſtulimus. Supereſt tantum vt retinere queamus.
is dictis arrecti animi, vulgúſque moueri
eperat, & tremulis inuoluere murmura labris,
ſiluis ſtrepitant auræ ſimul imminet atra
empeſtas, miſeris meditans mala plurima nautis.
ſe ſuis iterans compreſſit murmura verbis.
s Stygia, atque omnis ſceptri fiducia noſtri
on alio ſtetit auxilio, nec ſtare videtur

Posse diu, quàm quòd sceleratum irrepsit in orbem
Vana superstitio, & tàm longa obliuia veri
Numinis. Hinc vires, hinc tanta potentia nobis.
Scilicet & rerum domini sumus. An ne videtis
Nostra quot & quantis cumulant altaria donis?
Nec tantum pecudes, armentáque bucera ducunt,
Ipsi se mactant homines, & sæpe ministro
Lætior optatis iugulum dedit hostia cultris.
O ingens, verùm nobis gratissimus error!
Quippe etiam Superos sese implorare professi,
Quorum nos cultus & nomina finximus ipsi,
Mille Deos, totidémque Deas, & somnia mille,
Impia mentitis bacchantes orgia sacris,
Nostris aduoluunt genibus, votísque fatigant
Non donaturos nisi noxia munera Diuos.
Quando igitur nostri custos fidissima regni
Sola superstitio est, atque huic debere fatemur
Tot sontes animas, quas hic Acheronte sub imo
Cogimus illa pati quæ nos perferre necesse est,
(Idq; iuuat, neque iam superest alia vlla voluptas)
Hoc agite, arripite arma citi, stet parta tueri.
Ipse ego, quò maiora vocant discrimina, nunc hic,
Nunc illic adero, & tota me mole mouebo.
Flammea si potui conuersus in ora draconis
Infesto cæli armigeros incessere bello
Æthera per medium, & tanto superesse labori,
Nunc morer, & Christi turbet me nomen Iesu?
Scitis enim quibus ille ferox nos, nostráque vexet
Auspiciis. Ideo (nisi mens tunc nulla fuisset)
Principio perdendus erat, vel matris in aluo,
Vel tener in cunis, aut cum gestatus in vlnis
Herodem fugiens Aegypti regna petebat.
Tunc quoque (nam memini) nimium puer ille timendus.
Sed quis ab incerto genitum patre, vel patre nullo
Crederet ad tanta venturum lumina famæ?

odio probitas omnis, sed ferre queamus
um priuata manet. Nimium me publica virtus
rritat, & profusa sui. neque enim auia rura,
siluas colit, aut prærupti vertice saxi
s nosse viam, aut astrorum arcana laborat,
l paucos inter comites, iuuenúmque cateruas
rietibus clausis cæcóque immurmurat antro
æ nescire aliquis prudens quàm discere malit,
ales sæpe viros submittunt Bactra, vel Indi,
Nili fontes, aut mendax Græcia nutrit;
t vrbe in media mediis se in millibus effert,
dictis factisq́; potens quæ tradidit ore
estat & exemplis, nec linguæ discrepat vsus.
ite quanta illi de se fiducia surgat.
s quoque cum voluit sua iussa capessere cogit,
dq́; iubet, quamuis rerum natura repugnet,
amen. Hunc credam mortali sorte creatum?
labor, & gemitus, durisq́; in rebus egestas,
color, & facies hominem sonat. Est homo certè
patitur, certa est hæc experienta veri.
igitur vires huc toti effundite vestras,
ille nocendi artes. Aliquâ nocuisse iuuabit.
idæ deerunt operæ, scelerumq́; ministri.
s enim quorum ille odiis iactetur & ira.
tum absit mora. namq́; suo pede si steterit res,
ncat virtus, si nemo exorsa retardet,
lsis mundo tenebris, & luce reuersa
rarum pereat regnum noménque necesse est,
q́; relligio præclusis faucibus Orci
rno illustres animas transscribet Olympo.
it. Hinc diræ socios partitus in omnes
era militiæ tetro sæuissimus antro
it, & rectà Solymos petit. Horror euntem,
uitur Pauor, & commota Insania mente,
æq́; simul Furiæ. Quarum vna, sororum

Pessima, se Ischarij sub pectore condidit imo.
Nec via difficilis. Iam dudum strauerat illam
Turpis auaritiæ labes teterrima, qua se
Furta per, & celeres properat ditare rapinas.
Sed tamen apposita est tali custodia talis
Mancipio, incepto ne forte absistere victus
Possit, & excussis educere colla catenis.
Inuadunt alios alij, pars viribus vsi,
Pars instructa dolis. Nulli stat parcere, nullum
Non tentare nefas. Quo quisque integrior omni
Abstinuit cautus vitio, tanto acrius instant.
Sic quondam hiberno cum sidere tristior annus
Ningit, & astrictos Aquilonibus impedit amnes,
Quo tutas magis ad caulas pecus omne remotum
Ruminat, & teneris implet balatibus auras,
Sæuior hôc mouet arma lupus, partesq; per omnes
Explorans aditum nunc huc, nunc vertitur illuc
Dirà fremens. Premit àtra fames, iraque ministrat.
Ipse caput quassans cinctum serpentibus atris
Pontificis summi limen dux obsidet, illam
Expugnare parans, & vertere funditus aulam.
Obstitit aggressu primo sacer ille tiaras
Vittati capitis, quod tunc insigne gerebat
Muneris eximij, visuq; exterruit hostem.
Sed quia quem nactus pretio fœdabat honorem
Occulta scelerum illuuie atque libidine turpi,
Spem dedit ipse sui. quid enim mens conscia posset?
Victus habet, sparsum venis furiale venenum
Labitur alta petens, penitúsque per ossa medullis
Hæret, & indomita torquet præcordia flamma.
Æstuat insano vindictæ accensus amore,
Æstuat, & sine more furens sitit vsque cruorem
Insontis Christi, miserúmque ea magna coquebat
Cura, quòd obstabat populi fauor. Aduocat ergo
Concilium. Accurrunt proceres, spatiosáque complent

Atria

ltria. Stat circum Laruarum exercitus ingens,
ristе satellitium, tali sed præside dignum.
,ui toruam voluens aciem, suffusáque tabo
umina, (nam toto rabies ardebat in ore)
sper in hæc sæuis prorupit iurgia verbis.
uo nos vsque viri mala perdit inertia, nec se
ollit humo si qua est in pectore viuida virtus?
empe hoc assiduum, repletur curia verbis,
d nihil interea geritur quod postulet vsus.
uid querar? aut quò me referam? Prô dedecus! Ille
uem toties meritis tolli decreuimus omnes
ppliciis en viuit adhuc. Quid viuere dicam?
gnat. Nec populi tantum se iactat habenis,
os petit, & nostros ad se traducit honores.
am quæ sacrorum, templi quæ salua manebat
ra, nec imperiis infracta hostilibus vnquam
rbitrio stabat nostro, hanc sibi vindicat iste
nprobus, & raptis tortorum more flagellis
uos se ferre negat sacra inter septa ministros
icit, atque in nos probris ea ructat acerbis,
alleat, inq; sinum sibi despuat omnis ut astans
uditor. Patimur tamen, atque ignoscimus vltro.
ilicet hic tota quem vidimus vrbe triumphi
inis, vt in tanti iuremus verba magistri,
edamus patriis vt legibus, at tua Mose
ssa dehinc nemo, nemo tua signa sequatur.
inerat, bilémque animis accenderat atram,
uàm facilè arentes torret cum Sirius agros
Accipiunt ignem stipulæ, flammásque sequaces.
ed populum festis tamen iritare diebus
non relligio, prohibet timor. Hactenus ira
ubstitit, vt paulum repressa ferocior inde
urgeret, & siccas expleret sanguine fauces.
Ast iisdem interea furiis agitatus Iudas
rumpens portis, ut qui non parua referret,

 Attonito

Attonito similis,(pallor sic verterat ora)
Improuisus adest, & quod vix credere quisquam
Audebat tanto in numero, licet improba tota
Turba foret, dominum venalem obtrudit, & vltrò,
Quid mercedis erit? Si debita poscimus, (inquit)
Præmia si nostro stant non indigna labori,
Ipse ego (ne dubitate viri) quem quæritis ipse
Ipse manu vobis tradam. Vos quò lubet illum
Ducite. Certa fides quam certa pecunia firmat.
Hanc date, spe citius mea dein promissa sequentur.
Sic ille. Incerto resonant subsellia plausu.
Quem Stygij circum alipedes ferale dederunt
Lætitiæ signum, veluti spectata theatris
Fabula cum placuit fremit omne ignobile vulgus.
Nec mora, quos pacti simul (O vesana cupido!)
Ter denos insontis heri pro corpore nummos
Accipit argenti veteris. Quod vile quis vsquam
Mancipium non pluris emat? Sed nec dare multa
Consuerunt qui sacra ferunt, & quisquis auarus,
Semper inops animi, quoties obiecta lucelli
Conditio est trepidans rapit obuia, longa relinquit,
Prauerti miserè metuens, aut denique falli.
Mercedem hanc igitur sceleris capit improbus, atque
Vnguenti reputans pretium, (causa vnde furoris)
Quæ ter centenis ter dena abradere turpi
Tunc poterat furto nunc proditione reponens,
Lætus abit, voluens animo quo tempore, quóve
Mox præstet promissa modo. Iam totus in illo
Ad socios redit, & nutus obseruat heriles.
Quóque magis lateat, blandos stat fingere mores,
Dissimulare nefas, crimen non prodere vultu.
Nec subit ah misero quoties iam viderat antè
Occultos aperire dolos, atque intima mentis
Consilia hunc ipsum quem vendidit, idq; Senatu
In medio corámque (pudor) tot testibus astans,

Et ſpondere volens, cupiens & in acta referri
Publica, quò cunctis teſtatum dedecus eſſet.
Sic ſcelera ingeminant, errorémque implicat error
Cum ſemel excutiens neglecti frena pudoris
Perfurit indomitùm, nec habet veſania finem.
Iam bis ſepteno ſe Luna coëgerat ortu,
Et patrio ſibi quiſque agnum de more parabant
Iſacidæ læti. Et quoniam nil iuſſerat, vltrò
Accedunt Chriſtum comites, pia cura, rogántque
Sollennes vbi & ipſe dapes ſibi poſceret. Ille,
(Vt Solymis aberat) Præcedite (dixit) in vrbem.
Obuius ingreſſis fiet de fonte reuertens,
Qui dulces habili latices geſtabit in vrna.
Hunc vos obſeruate, & quò diuerterit, illic
Affati dominum, paucis mea vota referte.
Nam ſimul atque ſuis me velle intelliget vti
Aedibus, inſtructam monſtrabit ſedulus aulam.
Hic agite. hic nil deerit enim quorum indiget vſus.
Non ſecus ac iuſſi faciunt quibus illa duobus
Cura fuit. Sequitur mox ipſe, & nocte propinqua
Tecta ſubit, tanti latè celebranda per orbem
Hoſpitis aduentu, qui quas celebrauerit ædes,
Sint humiles licet, & nullo ſpectentur honore,
Ardua decedat magni quæcunque tyranni
Regia nobilibus fulgens innixa columnis,
Ac neque Romani certet domus illa Neronis
Aurea, nec Bactris, nec ſi qua feratur ad Indos,
Ditéſque Aethiopum populos, vbi fama coruſcas
Oſtendi Solis menſas, fontéſque beatos.
Si deſunt Pario ducti de marmore vultus,
Si proauûm ſeries molli nec ſpirat in ære,
Nec pictis eadem ſic eſt expreſſa tabellis,
Vincat vt argutam, aut poſſit viciſſe videri
Naturam manus artificis, modò verba ſequantur;
Non ebur, aut ſummis fulget laquearibus aurum,

Nec sola luxurianti nitidis variata lapillis,
Aut strepitant culti sinuosa per atria serui;
At mundus victus pura sine crimine mensa,
Et iucunda quies nullius conscia culpæ
Non desunt. Hic & socij concordia lecti,
Atque amor, atque fides, veri certissima custos,
Cautaq́; simplicitas, atque omnis mater honesti
Relligio regnant pariter, dominumq́; beatum
Pacatæ assiduò recreant solatia mentis.
Talia tunc igitur cum tecta subisset Iesus,
Tecta, Dei templum quo non antiquius vllum
Christiadæ agnoscunt, (Ideóque augustius illud
Legerat, instructum, pictisq́; tapetibus aptum,
Vt noua sacratis ibi traderet orgia mystis)
Æterno comites sibi quos deuinxit amore
Communi associat mensa. Ac simul ardor edendi
Cessit, & absumpto, vetus vt lex imperat, agno
Iam magis attentæ stabant sermonibus aures,
Incipit, & blando mitis sic ore profatur.
Hoc sollenne sacrum quod nunc celebramus, amici,
Ingenti desiderio sæpe antè cupiui
Perficere humanis quàm me discedere rebus,
Atque extrema pati iubeat diuina voluntas.
Adiicite ergo animos, & quod nunc instat agamus.
Sic fatus linquit mensas, vestémque fluentem
Ponit, & accinctis inducens lintea lumbis
Flumineos latices vndanti pronus aheno
Grandibus infundit labris, pedibúsque suorum
Abluere aggreditur sordes. Procumbit humi rex
Qui cælum cælíque suo sub numine torquet
Sidera, & aduoluens genibus quos lauit eosdem
Deterget niueo quo se velarat amictu.
Non tulit hunc habitum Petrus, quem viuida semper
Vis animi stimulo generosæ mentis agebat,
Vtq́; eius venire vices, sic turbidus infit,

Túne

Túne meis lympham pedibus? Dum vita manebit
Nunquam ego te patiar dominum seruire ministro.
Ille refert, Meus iste labor quid conferat, aut quò
Tendat adhuc nescis. Sine te leuis abluat vnda.
Ni facias, pars nulla mei tibi cedet honoris.
Quod simul audiuit, velut æstro percitus, At tu
Non summos modò tinge pedes, ne deserar (inquit)
Et capite, & manibus, toto & iuuat ore lauari.
Cui Christus, Loto mundus qui corpore viuit,
Huic satis est lauisse pedes. Vos denique mundi,
Non omnes tamen. Hoc addens, quò proditor ille
Scilicet agnoscat culpam, nec fallere speret
Perfidus. At nec facta valent, nec dicta mouere
Deuotum Diris animum pestiq́; nefandæ.
Postquam lustrali socios sic abluit vnda,
Aptauitq́; viros sacræ ad mysteria cenæ,
Quæ puros poscúntque pedes, & pectora pura,
Depositas sumens vestes, iterumq́; recumbens,
Hortatur meminisse velint alternáque semper
Præstare officia, & fidum non lædere amorem.
Nam si ego, quem dominum, regémque, patremq́; vocatis,
(Et merito, neque enim non debita sumimus, inquit)
Tale ministerium nullo cogente peregi,
At certè inter vos eadem seruarier æquum est.
Talia commemorans, quæ corda domare superba
Paulatim, & miti possent assuescere cultu,
Dein maiora mouens, caris quæ linquat amicis
Munera proponit, summúmque instaurat honorem,
Quo mortale genus fulgentibus inferat astris.
Illa quidem aspectu nusquam non obuia, & ægrè
Queîs duci sine vita queat panisq́; merumq́;,
Sed verbis vis omnis inest, quam nulla referre
Lingua, nec humano mens vlla apprendere sensu
Possit in his rerum tenebris & nocte profunda.
Namq; super cenam mensis de more secundis

Dum gaudent ſocij, medio dux agmine cælo
Sidereos tollens oculos, atque in ſua vota
Implorans genitoris opem, quæ fregerat antè
Fruſta laboratæ frugis partitur in omnes,
Atque ait, Hoc veſtræ pretium non vile ſalutis,
Ecce, meum eſt corpus. Id ſumite. Deinde recepit,
Impleuitq́; mero calicem, quôque antè tenore,
Hic meus eſt (inquit) ſanguis, quem publica fundo
Victima pro populi admiſſis. Haurite volentes
Ordine quiſque ſuo. Suprema hæc munera ſunto.
Non etenim poſt hac vnà continget, amici,
Has iterare dapes, hos vitis ducere ſuccos,
Donec ad æterni culmen progreſſus Olympi
Illic vos regno excipiam, menſiſq́ue paternis,
Atque ibi nunc cœpti tunc perficiantur honores.
At vos interea, veſtrique in ſæcla nepotes
Præclaris aucti donis, hunc ritè frequentes,
Hunc læti celebrate diem. Iuuet acta referre,
Et mortem iuuet, & noſtros memorare labores,
Donec ſumma dies cum fractum euerterit orbem
Cælesti veniam iudex horrendus ab arce,
Et ſua tunc ponam ſceleri, ſua præmia laudi.
Sic fando (res mira) ſacras iam corpore toto
Induerat ſeſe in fruges, laticémque Lyæum.
Miratur Natura parens, ſed faſſa pudorem
Abſiſtit tamen, & non indignata recedit
Aduentante Deo. Specie tenus illita reſtat
Forma, ſed arcano mutantur corpora motu,
Nec cernunt oculi cupido quod ſumitur ore.
Ex illo mundis quoties aduoluimur aris,
Et ſacer Antiſtes ea protulit ordine verba
Quæ quondam Chriſtus (Chriſti namque inſtar in illo eſt)
Non, quæ ſpectamus, pateris delibat & auro
Vitigenos latices, & puræ cruſtula frugis,

Sed verum Christi corpus, sanctumq; cruorem,
Atque iisdem populum dapibus quoque pascit opimis.
Quippe Dei soboles, cui par cum patre potestas,
Vt nostros sibi nascenti circumdedit artus,
Sic sese insinuat nobis, sese ipse vicissim
Reddit, & ingentem voluens sub pectore flammam
Accensis diuinum animis infundit amorem.
Tum si quid superest contracta labis, id omne
Purgat, & aeternis cæli nos ciuibus aequat.
Sentiet hoc casta quicunque ea sacra frequentat
Mente, nec addubitat quanti sit Numinis hospes.
Felix ille etenim ceu flumina propter amœna,
Ver ubi perpetuum tepidi fouet aura Fauoni,
Ambrosia vescens securi graminis herba,
Quos sors cunque ferat, vis aut inimica tumultus,
Mollia tranquillæ traducet tempora vitæ,
Nec mortem metuet, morti qui nempe superstes
Victor ad optatas transit, sua præmia, palmas.
O vtinam cunctis ea stet fiducia cordi,
Vt nostris olim proauis. Qui credere docti
Quodcunque ætherei processit ab ore magistri,
Nec tam scire auidi, quàm cauti viuere rectè,
Æternam stabili seruabant fœdere pacem.
Nos verò humanis rationibus omnia mensi,
Ipsum etiam nobis ausi submittere cælum,
Dum sua quemque trahit studia in diuersa voluntas,
Omnia dissidiis miscemus, & omnia bello.
Nec spes vlla boni superest vbi soluitur illud
Sacramentum ingens, & tanquam tessera sacræ
Militiæ Stygij contra horrida castra tyranni.
Cessant excubiæ, sæuo via panditur hosti,
Et generosa phalanx iunctis inuicta maniplis
Rumpitur, huc illuc versis dum labimur alis.
Sed frustra queror heu, nec habet furor impius aures.
Postquam sic igitur sollennia dona peregit

Humani

Humani generis vindex, accensa suorum
Corda nouis agitans stimulis, turbatus, & altè
Dans gemitum, Vitæ spatium percurrimus (inquit)
Hactenus, extremi superest nunc meta laboris,
Scilicet vt nostro peccata aliena luantur
Sanguine. Nec mortem tamen exhorrescimus, vltrò
Ibimus, & magni peragentur iussa parentis.
Morte sed est grauius quòd qui me destinat hosti
Tradere de vestro hic numero est, & vescitur iisdem
Nobiscum dapibus. Sic de me oracla loquuntur.
Nec tamen hoc impune feret. Miser ah miser ille,
Cui satius foret haud prodisse in luminis auras.
His dictis trepidant pauidi gelidúsque per ora
It sudor, quatit ossa pauor. Tum lumina voluunt
Huc atque huc, vultu crimen si agnoscere possint.
Quippe fidem verbis adhibent, sed credere de se
Horrescunt tam grande nefas. Ergo ordine cuncti
Pro se quisque rogant anne ipse anne ipse scelestus
Ille foret. Rogat & frontem perfrictus Iudas.
Nec responsa incerta refert, sed nescia culpæ
Simplicitas alios, nec inutilis impedit error,
Ne quâ fortè manum iniiciant, & cœpta morentur.
Namq; & Ioannes, magno dilectus amore,
(Proinde sinu lecti recubans quo Christus eodem,
Pronus & æthereos ducens de pectore succos)
Cum Petri monitis (quid enim non auspice Petro?)
A domino auctorem sceleris perquireret, atque hunc
Protinus ille manu porrecta ostenderet offa,
Quod videre palam poterant vidisse negari.
Vsque adeo obscura inuoluit pater omnia nocte
Dum perfecta forent, & iam meminisse iuuaret.
Denique cum caput infandum sic iussit abire,
Hoc age, tolle moram, ac Furiis comitantibus idem
Festinans abiit, quid apertius? Et tamen illi
Omnia credebant potius quàm tale parari

Insidiis scelus, & diras cum sanguine pœnas.
Quæque fides animi tecta nil fraude mouentis,
Quandoquidem regni fuerat spes facta propinqui,
Cetera securi, multis contendere verbis
Cœperunt pariter cui sors ibi prima daretur,
Quo se quisque gradu, quanto spectandus honore
Tolleret. Ipse suis fastum procul abfore regnis
Affirmans, & dona tamen sublimia spondens,
Sollicitus monet exemplis vt maior haberi
Qui velit officiis iuuet, obseruétque minores.
Néve suis fidant meritis, nisi Numinis vltrò
Adfuerit fauor, & cælesti afflauerit aura,
De vestris in me studiis præclara professos
Amplector, sed tempus adest quo deserar, (inquit)
Et quem nunc colitis, regémque, patrémque vocatis,
Rebus in aduersis confusi optabitis omnes
Non nosse. Vsque adeo pulsus de pectore nostri
Cedet amor, nec erunt mea magna opprobria curæ.
Iam Stygiæ incumbunt tenebræ, ruit horrida cælo
Tempestas, quæ deprensos vasti æquore campi,
Turbatósque metu deserta subire ferarum
Hospitia, & cæcas adiget penetrare cauernas.
Sic vates cecinere. Cadet sub verbere duro
Pastor, & incertæ huc illuc custode remoto
Dispergentur oues. Túque ô qui feruidus anteis
Semper, & eximium præfers accensus amorem,
Nunc Petre aduigila. Inferni te tela tyranni
Prima petent. neque enim cribris agitata farina
Puluere tam tenuis fundo subsidit, vt ille
Vos quatere obtritis malè perfidus ossibus optat.
Sed tu fide Deo, supplex quem voce rogaui
Vt tua certa fides omnes stet nota per annos.
Erige te, fratrésque tuos, neu desere lapsos.
Petrus ad hæc, Summis ego me tibi iungere rebus
Addubitem, aut vllo possim terrore moueri?

Non

Non adeò nullus circum præcordia sanguis,
Non fronti pudor omnis abest. Per tela, per enses
Te sequar, absistant alij. Sit carcer, & atra
Mors subeunda mihi, tecum subiisse iuuabit.
Sic ille, atque alij, donec procul abfuit hostis
Intrepidi. quid enim de se non crederet ipse
Qui sibi plaudit amor? Nulla at sine Numine vires.
Ergo illi contrà quem nec ventura latebant,
Tune ô nequicquam confidentissime mecum
Vel mortem, vel vincla feras? Non antè secundo
Excubitor lucem cantu prædixerit ales
Quàm ter me nouisse neges, dominumq́ relinquas.
Hactenus, exuti propriis, atque omnium egeni,
(Sic iussi ignotas quoties accestis ad oras)
Cum nec Zona foret, nec res, nec sacculus vllus,
Vixistis tamen, & securi viuitis. At nunc
Me sine quid superest? Nulli iam sacculus vnus
Sit satis, adiiciat Zonam, tunicamque coëmpto
Permutet gladio. mihi nam grauis exitus instat,
Supplicio vt sontes inter male plectar acerbo.
Cumq́ illi, ignari rerum, noctisque profundæ
Offusi tenebris, binos ibi forte repertos
Monstrarent gladios, Satis est satis, inquit, & inde
Incœptum peragens sermonem talia fatur.
Venit summa dies, oculis iam subtrahar. Atqui
Mox reddar. Magno genitor me poscit Olympo,
Huc feror. Huc necdum vobis via, praire necesse est,
Augustasq́ aperire domos, spatiosáque cæli
Atria, distinctis latè penetralibus apta.
Illic vos igitur certo post tempore lætos
Excipiam, vt mensis saturi cælestibus vnà
Immortali æuo iucunda in pace fruamur.
Interea durate viri, nec rebus in arctis
Cedite, dum redeo. neque enim vos tempore longo
Nostra nudatos ope præsidioq́ tenebo.

Arua manent reducem Galilaa. Huc tendite gressum.
Nunc fuga, nunc labor, & trepidis timor anxius instat,
Fletusq́, gemitúsque, & qua dolor imperat ingens,
Sed velut immites experta puerpera partus
Cum semel arrisit matri dulcissimus infans
Prateritos animo iam nunc oblita labores
Exultat, gaudens quòd ciuem protulit orbi,
Sic mea vos omnem prasentia ponere luctum
Coget, & infundet placida noua gaudia menti.
Non ego tunc iterum patrio ceu funere mastos
Pupillos nullo tutos custode relinquam,
Ætherea sed enim veniet demissus ab arce
Spiritus, aterni lumen patris. Ille docebit
Omnia, qua longo neque nunc sermone referre
Possim ego, nec vestras penetrent narrata per aures.
Dura ferenda quidem, (nam me quoque dura ferentem
Cernitis, & cernetis adhuc) mens dura ferendo
Assuescet tamen, atque etiam latabitur vltrò,
Hac est illa quies, hac pax, qua plurima nostro
Numine tranquillis penitus se mentibus infert,
Vis vt nulla queat, nulli turbare tumultus.
Hanc ego supremum vobis nunc munus, amici,
Largior aspirans animis. Hac fœdera lati
Iungite, & vt norint omnes vos esse meorum
De numero, firmum nunquam interrumpite amorem.
Sic ego, sic vnum genitor sumus. Omnia in vnum
Cogat amor, tali cedant atque omnia amori.
Qua nato pater omnipotens, ea munera natus
Ipse dabit vobis. Petite, & donabitur omne
Quod petitis. Quin vestra mihi si certa fides est,
(Sicut erit) memores mea si pracepta tenetis,
Qua nunc ingenti plausu pulcherrima facta
Cernitis aquare, atque etiam superare licebit.
Nil sine me, nil me quisquam qua fuerit extra.
Qui faciet, sacra quondam de vite recisus

Vt palmes maneat sterilis, pereatque necesse est.
Filioli seruate fidem, seruate perennem
Sollicitè, toties quem commendamus, amorem.
Talia mellifluo postquam sic fuderat ore,
Atque patri magno grates persoluerat, illinc
Sublatis abiit mensis, vrbemq; reliquit,
Et solitos petiit colles, hortosq; supinos,
Quà torrens Cedron liquidis prælabitur vndis.

LÆVINI TORRENTII DE CRVENTO DOMINI NOSTRI IESV Christi Sacrificio.

LIBER III.

INTEREA *magnū nox horrida texerat orbē,*
Apta dolis. Quos iam meditans teterrimus ille
Proditor, ast idem metuens ne fallier arte
Non queat occultas toties quem viderat antè
Effugere insidias, & opertos promere sensus.
Fraudem armis munire parat. Nec cogere cœtum
Difficile, accurrunt vltrò procerúmque ministri,
Et procerum vilis quos offula fecit amicos,
Aut merces etiam, & pacti pro sanguine nummi.
Hæc tali duce digna cohors sub nocte profunda,
(Sed noctem vicere faces) ductura nocentem
Scilicet, vt iusti se iudicis ante tribunal
Sistat, & obiecto pendat pro crimine pœnas,
Egreditur portis, campoq; effusa patenti,
Hos, illos seruans aditus, Cedrontis ad amnem
Vt ventum est, colles hortorum indagine cingit.
At ductor, vitam ceu qui venatibus asper
Exercens celeris sequitur vestigia ceruæ,
Mox noto inuentum thalamo clamore secundo
Excitat, & catulis aduersa in retia cogit,
Partitus socios, ut prauius ipse, solebat

Quà

Quâ domino praeeunte sequi per nota viarum
Compita. Nec mora longa, locum deuenit ad illum
Quo tendebat inops animi, & iam perditus ipse
Perdere festinans alios. Tum limine primo
Substitit, & paucis, (vt erant ad cuncta parati)
Affatus comites, Hic hic latet abditus ille
Hic (inquit) latet. At ne quem malus implicet error,
Aut alia occurrat facies, ego primus adibo,
Porrectaq; manu prensabo, atque oscula iungam.
Vos cauti seruate virum, nec parcite capto.
Quae verò interea Christus contrà arma parabat?
Non illum latuere doli, non turpe nefandi
Artificis scelus. At quoniam suprema volenti
Nox aderat, monstrans alijs ratione modóque
Dura pati, mortisq; minas postponere vero,
Aetherei postquam repetens arcana parentis
Alloquia ab magnae strepitu secesserat vrbis,
Quos duxit secum comites virtutis amore
Accensos monet vt perstent, promissáque seruent.
Neue animi imbelles onera ad maiora vocentur
Quàm perferre queant, velut intra septa relictos
Castrorum viridi considere iussit in herba.
Ipse tribus toto è numero stipatus amicis,
Quorum summa fides, quibus & iam testibus antè
Signa sui dederat, radiis ardentibus aptum
Cum cinxit caput, & diuino effulsit honore,
Commisit sese pugnae, non horridus ense,
Horridus aut iaculis. Gemitus fletúsque fuere
Arma viro, atque aegro rupti de pectore questus.
Fassus enim fusis inter suspiria verbis,
Dum mortem, & saeuas reputat longo ordine poenas,
Quam vehemens animum quateret dolor. Ipse tamen se
Colligit, & sociis medio in sermone relictis,
Sed monitis iterum vt vigilent, totoq; precentur
Corde Deum, duris quaerens solatia rebus

Ad patrem conuertit iter. Nec longa remotus
Post spatia extantis scopuli sub rupe cauata
Hortus vbi acclini surgebat margine montis
Curuis fusus humi genibus, mox sustulit ora,
Æternum hac supplex compellans voce parentem.
Sancte pater, qui me tecum supera alta tenentem
Induere humanos moribundi corporis artus,
Et nasci, & tantos voluisti ferre labores,
Hactenus exhaustum satis est, nunc horrida transfer
Pocula, quæ gustu nimium miscentur amaro.
Si tua progenies, si sum tua sola voluptas,
Si tua ritè tuli verax præcepta per orbem,
Hoc precibus concede meis. hoc namque precari
Ah teneri nimium cogunt sub pectore sensus.
Sin aliter visum, mea ne sententia tecum
Discrepet, humanam aut videar differre salutem,
Tute iube. Iussi, genitor, meliora sequemur.
Quod superest, pressum grauiter, nec digna ferentem
Firma animum, & iustas in prælia suffice vires.
Talibus orabat lacrymans. Votisq́; peractis
Inuisit socios, quorum iam soluerat altus
Membra sopor. Verbis igitur non lenibus illos
Castigans, Petrum ante alios, qui magna locutus
Nil faceret dignum dictis, at nil opis inde
Expectans, animus maior quòd viribus esset,
Mæstus abit, repetitq́; preces, repetitque parentem.
Mox iterum tamen vt caros accedat amicos
Cogit amor. Sed non illos par cura remordet,
Ægra superfuso deuinctos lumina somno.
Tum verò exarsit mediis dolor ossibus ingens.
Ingemit, atque iterum lacrymis super ora profusis,
Assiduis reputans precibus miserescere Numen,
Summis annitens studiis, ac totus in illo,
Implorat genitoris opem. Gemit arduus æther,
Et mæsta illacrymant plangentibus arbuta siluis.

Ipse

Ipse graues inter gemitus saeuósque dolores
Feruidus inuictae perstat dum robore mentis,
Luctantes moderans animos, it corpore toto
Sudor, & immixto manantes sanguine guttae
Purpureo circum omne solum tinxere colore.
Usqueadeò teneros de virgine duxerat artus.
Quôque suos ardens complectebatur amore,
Quicquid in hac illi peccarunt nocte luebat
Ipse. Nec immenso poterat par esse labori,
Sed pater omnipotens sortem miseratus acerbam
Alipedem aetherea iuuenem demisit ab arce,
Purpurea insignem chlamyde, & talaribus aureis,
Qui noua iussa ferens natum tam saeua dolentem
Subleuet alloquio dulci. Volat ille per auras,
Nec mora, fulgenti ante oculos in nube coruscans
Improuisus adest, mollitq; his pectora dictis.
Nate Deo, quae te pietas descendere caelo
Impulit, & castae progressum virginis aluo
Inde ter vndenos vitam tolerare per annos,
Praescripti spatium cum iam percurreris aeui,
Cur eadem non sponte tua concedere morti
Suadet, vt humanum tollas ad sidera nomen?
Si fuga, si latebrae turpes, & probra tuorum,
Si genitricis amor, si te furor angit Iudae,
Atque vno quicquid scelerum gens impia nectet
Obtutu se infert oculis, aegrumq; fatigat;
Quò magis haec indigna, olim maiora relinques
Exempla, vt mala ferre velint, vincantq; ferendo
Quos virtus tua per vestigia ducet ad astra.
Macte animo. Non parua adeo, aut temnenda sequentur
Praemia. Quà magni pandit se machina mundi
Seruabis mortale genus, caeloq; locabis
Illustres animas, quarum non aethere vasto
Aequabunt numerum stellae, non litore arenae.
Talibus aligeri dictis pater annuit aequus,

 Annuit

Annuit, & sanctum nato aspirauit amorem.
Quo tutus Stygij contra omnia tela tyranni,
Cui data non vnquam vis tanta, aut cura nocendi,
Perfunctus precibus socios simul excitat, atque
Obuius immani fertur mitissimus hosti.
Quem postquam aspexit gradiens, non perfida fugit
Oscula, non sordes immundi despuit oris.
Quinetiam errorem miserans, Quò tendis amice,
Quidve paras? Tum vos alij quem quæritis, (inquit)
Quòve tenetis iter? Cumq; illi murmure rauco,
(Vt iuncta stabant acie) vultuq; minaci
Dulce salutiferi proferrent nomen Iesu,
En (ait) en ego sum. Qua sola exterrita voce
Tota cohors gressum reprimens, vt vipera morsu
Si petat, Herculei aut vis ingruat horrida morbi,
Concidit in tergum crepitans. Procul arma, facesq;,
Et dolus, & rabies flaua extenduntur arena,
Ceu pecudes medio feruet dum Sirius æstu
Propter aquam ignauum proflantes pectore somnum.
Nec satis, errantem vt reuocent miracula mentem,
Sæpius ac moniti discant non temnere Numen,
Erecti extemplò redeunt, iterumq; rogati
Quem quærant, eadem postquam responsa dedere,
Excussis iterum labuntur turpiter armis.
Ipse autem in mortem properans torpore sepultos
Suscitat, & nulli iam formidabilis vltrò
Sese offert, sacras tendens ad vincula palmas.
Sed tamen vt seruetq; gregem, reddátque parenti
Incolumen, dempto, qui se malè perdidit, vno,
Permitti iubet intactos discedere amicos.
Quos inter vanis iactantes grandia verbis
Acrior insurgens Petrus, quem texerat antè
Corripuit gladium, & Quin nos quoq; cædimus? inquit.
Quo dicto ruit in medios, seruúmque trucidet
Pontificis summi Malchum, sed vertice aberrans

Auri-

Auriculam misero non optimus abstulit ensis.
Iámque iterum feriat, placidi sed voce magistri
Ne gladium intentans aliis gladio occubet ipse
Admonitus, tandem absistit, ferrumq; recondit.
His pudor accessit, quòd quæ manifesta dedisset
Vulnera contactu subito sanata videbat
Mitis heri, vt monstret sese nullius egentem
Auxilij, cuius nutum cælestia seruent
Castra, quibus nostras haud fas contendere vires.
Atque adeo vt turba mixtos cognouit in illa
Primores quosdam populi, templique magistros,
Dum tortum expediunt funem nodósque tenaces,
Cur structis (ait) insidiis per deuia rura,
Haud aliter quàm si latro, aut sicarius essem,
His in me sumptis nocturni acceditis armis,
Quem medio in templo, mediáque in luce frequentes
Vidistis toties, toties audistis? Inermem
Prendere quid vetuit tunc atq; abducere captum?
Sed iam tempus adest quo quod fuit antè negatum
Permittit genitor, laxásque effundit habenas
Vmbrarum dominis, penitúsque procacibus Vmbris.
Hoc agite, átque explete animos. Sic ore locutus,
Amissis sociis, amissis solus amicis,
Per varia ad notam ludibria ducitur vrbem.
Quo tanto lætus successu immanis auari
Rex Erebi mira præstantes arte ministros
Imperia, & totas odiis disperdere gentes,
Euocat. Accelerant auidi. Iubet ille parati
Auxilio vt properent aliis quibus addita nuper
Cura dolos struere, & tantis præludere factis.
Conueniunt igitur primùm, atque informia iungunt
Agmina, dein tenui audito stridore per auras,
Non aliter capta miles quàm raptor in vrbe,
Ad sua dilapsi scelera & compendia læti
Per fora, per vicos, per compita secta viarum,

Perq́; domos omnes, stratisque cubilia lectis
Aegros sollicitant animos, spargúntque venenum.
Omnibus hic labor, hoc studium est, vt amabile Christi
Nomen, & horrendi cælestia iussa magistri,
Creditáque ingenti toties miracula plausu
Excutiant animis, quò tanquam luce remota
In tenebris trepident miseri, perdántque pudorem.
Diuersi volucrum vultus, artésque nocendi
Non varia minus ac nobis sua cuique cupido.
Nusquam absunt, seruant nutus, seruántque colorem,
Nec temerè exciderit quicquam dicentis ab ore
Quod non solliciti expendant, quo pectora norint
Intima, & obsequio perdant faciantq́ue nocentem
Cuicunque institerint, si non se surrigit ipse,
Si non auxilio Diuûm ratione magistra
Praeduros subigit sensus, mollitq́; premendo.
Hoc genus acre mali terra saeuire marique
Permittit genitor nullo ne segnior hoste
Torpeat, atque oblita sui, atque oblita suorum
Gens humana malum consumat inaniter æuum.
Nam neque Olympiacæ veniunt sine puluere palmæ,
Nec nisi post magnos cæli patet alta labores
Ianua, quâ sedes contingit adire quietas,
Et capere anteactæ pulcherrima præmia vitæ.
Tales cum populo stimulos mala subderet Orci
Turba leuem rumpens per conscia pectora somnum,
Nec minus interea subito vaga fama tumultu
Spargeret adduci captum longo agmine regem
Indecorem regno, qui se diuinitus ortum
Finxerit, at turpes nequeat vitare catenas,
Vndique visendi studio concurritur. Ille
Solus, inops, cuiuis etiam miserabilis hosti,
Infernas inter Furias, harúmque ministros,
Imbellis licet, & placido mitissimus ore,
Vexatur tamen, ac patitur, quia velle videtur.

Ipse

Ipse pati. Gaudent certatim illudere capto.
At verò proceres magna tentantur & ipsi
Lætitia, immemores veri, sanctique pudoris,
Ausi horrendum, immane nefas. namque ordine nullo
Supplicium accelerant auidi. Nec causa rogetur
Supplicij. Quidvis subeant dum perdere possint
Inuisum caput, & fuso lauere ora cruore.
Concurrunt igitur media de nocte frequentes
Purpurei tectis Caifæ. Sedet ipse superbo
Inflatus solio, nec celans gaudia vultu,
En (ait) ô ciues tota quod mente cupistis
Posse datur. Longo nec vos sermone morabor,
Iam captum teneo. Non me frustrabitur vltrà
Improbus, aut ficta vos ludet imagine veri.
Quod dixi toties, nec me dixisse pigebit,
Vnius exitio cunctis adferre salutem
Fas & iura sinunt. Satis est potuisse teneri
Vt pereat. Nec quemquam aliò sententia vertat.
Hic tantum superest labor, hæc me cura fatigat,
Optato quòd supplicio hunc punire nocentem
Relligio vetat, & nostræ qui præsidet vrbi
Pontius offerri crimen volet, atque probari.
Efficiam tamen vt quouis sub iudice vincam.
Vix ea fatus erat, fremitu cum turba feroci
A socero veniens (magni cui prima Senatus
Cura, nec insontem genero minus oderat, ipse
Ipse etiam hinc aliquam cupiens attingere laudem)
Vestibulum subit. Ingenti clamore resultant.
Atria, ceu vasti plangunt cum litora fluctus.
Nec pudor, armati penetrant toto agmine sacrum
Limen, & impuro repletur curia cœtu.
Immixti Patribus serui, milésque proteruus
Vnà omnes immane fremunt. Hoc ante tribunal
Stans captus, sparsis per candida colla capillis,
Demissos tellure oculos atque ora tenebat

Triste gemens, nec ob illa tamen quæ sufferat ipse,
Sed miserans alios, quos tam manifesta libido
Per scelus infandum rapido compelleret Orco.
Non tamen aut lacrymas dolor, aut iniuria vocem
Exprimit. Insanos inter, quæ maxima virtus,
Et silet, & patitur, nec mentem opprobria mutant
Vana magis quàm vana aures illudit imago.
Tum verò actoris partes sibi sumere iudex
Non veritus rogat ecquid eum noua ducere sacra,
Atque alios populum ritus moresque docere
Pœniteat, tum qui solus sine chorte suorum
Astet, an ijs domino superet fiducia capto,
Quidve parent. Contrà ille refert, non abdita sese
Concilia, aut vetitos nocturnum cogere cœtus,
Sed medios inter proceres, plebémque sequacem
Dicere cuncta palam, quæ quisquis templa frequentet
Scire queat, promptos illinc non defore testes.
Talia narranti pugnis ferus ora satelles
Percutit, increpitans quòd non responsa dedisset
Digna satis. Quænam gens hunc tam Barbara morem
Laudet, vt iniussi feriant sua ritè tuentem
Facta reum? Horresco referens. Sed plura sequentur
Fœda magis. Tandem cum nil neque testibus vllis,
Corruptis pretio, nec gnaris texere falsa,
Proficeret structor scelerum, neque quæ ipse rogasset
Firma forent, alias transit simulator ad artes.
Nam, quod Pontificem decuit, Mea maxima cura
Relligio est, inquit. Quam dum retinere licebit
Incolumem, fas est aliis quoque fidere rebus.
Hanc igitur si tu nobis fulcire labantem
Venisti cælo interpres demissus ab alto,
(Quod te per Superûm regem dominumq́ue potentem,
Cuius sacra fero supplex, & numen adoro,
Attestor) dic ipse palam. Te iudice causa
Stet tua. Tune decus nostra, & spes vnica gentis,

Tune

Túne Deo genitore satus, quem nomine Christum
Dicimus, & sperare monent oracula vatum,
Isacidûm sublime feres super æthera nomen?
Sic fatus, viridi latitans ceu gramine serpens,
Eloquio dulcis, factis immitibus atrox,
Infandum peragit scelus, instillátque venenum,
Quo ferus incautum perimat. Nec cuncta videntem
Id latuit, sed enim reuerentia debita summo
Pontifici quanquam indigno, atque extrema merenti,
Hanc tamen expressit vocem sic ore locato,
Sum quod ais. Id si forsan mea vita peracta
Vos necdum docuit satis, & nunc credere dictis
Vincla vetant, veniet tempus cum nube corusca
Fulgentem, & patris æterni latera alta tegentem
Delabi summo regem cernetis Olympo
Attoniti, quem nunc mortali sorte creatum
Spernitis, & nullo ingrati laudatis honore.
Hæc responsa ferens, animi turbatus & amens
Obstupuit primum, hinc tantas exarsit in iras,
Demissam vt summo rumpens à pectore vestem
Diceret exclamans, Ergo hunc tam dira crepantem
Fertis adhuc, læsi nec quemquam Numinis ira
Sollicitat? Quod si facinus linquamus inultum,
Vnius obstricti scelere extirpabimur omnes.
Morte luat luat ipse, Deum iactare parentem
Ausus, & ah demens patriis obsistere sacris.
Mirabor si magnificè tam multa locutus
Aut vincla excutiet, tortorum aut probra refellet.
Dixit, & impatiens abiit, catúmque reliquit,
Poscentem meritas propter dicta impia pœnas.
Tum verò scelerata cohors, cum vinctus, inermis
Astaret, tacitus, tanquam ad ludibria natus,
Et dictis sæua, & factis immitior, omnem
Effundit rabiem. Regem, vatémque salutant,
Et feriunt pariter, calcantq́, ruuntq́, trahúntque

Quò rabidi voluere, oppletáque sordibus ora,
Et barbam, & sacros discerpunt vertice crines.
Heu mihi, quam magno nox illa extracta dolore
Nos vocat in lacrymas! nec enim satis apta canenti
Verba cadunt, crebris & hiant singultibus ora.
Tu modò, quò cœptos valeam finire labores,
Fer pater auxilium, atque aspersum sanguine nati
Annue speratam meritis attingere palmam.
Interea cæcis latitabant turpiter antris
Dispersi socij, solus quem viuida semper
Vis animi impellens opera ad maiora vocabat
Captiui, quocunque trahant, vestigia furtim
Ponè legens, ipsas etiam penetrarat ad ædes
Pontificis. Iámque in turba magna atria circum
Dum trepidat, videt ingressum, quòd notior esset,
Et facilem primis veniam speraret ab annis,
Dilectum Christo iuuenem, qui prensus & ipse
Fugerat abiecta dilapsus munere vestis.
Mox rediit tamen, & turbæ se immiscuit audax.
Innuit huic igitur. Nec defuit ille sodali,
Admittíque rogat. Sed enim quæ limine primo
Serua sedens habitúmque viri vultúmque notarat,
Ingressum his adijt dictis, Tu tecta subire
Hac ausus, capto solitus quocunque moueret
Ire comes? Qua voce miser perterritus ille,
Oblitúsque sui, notum negat. Atque ita porrò
Ingreditur, tali tanquam bene tutus in aula,
Scilicet, & mediis qui non mergatur in vndis.
O hominum ignaræ mentes quos dira cupido
Viuendi scelere obstrictos ad talia cogit.
Opprobria! Incurrit mortem fuga mortis honestæ.
Hic igitur seruos inter vernásque procaces
Frigidus accensum cùm se recrearet ad ignem,
Agnitus est iterum, nec ab vno proditus hoste,
Sed plures vno ore simul dixere quis esset.

Ipse

Ipse eadem repetens modò queîs euaserat arma
Perfricuit frontem, semel & quem forte pudorem
Laserat euulsum penitus timor abstulit omnem.
Iuratus pro quo morti se vouerat antè,
Abnegat, atque vltrò, si quis malè credulus instet,
Errorem vocat, & mendacia duplicat amens.
Incertúsque animi nunc huc, nunc vertitur illuc,
Ac velut in laqueos qui se semel induit arctos
Luctando obnectit magis atque intricat ineptus,
Sic sese infelix aperit proditq; negando,
Suspectus magis atque magis, dum notus oberrat
Omnibus, atque alius quàm sit vult ore videri.
Agglomerant igitur famuli, rixaque parati
Hic impostoris comitem vocat, alter amicum,
Sectatorem alij stipatorémque, quod ensem
Strinxerat, & Malcho violens auulserat aurem.
Tum linguam facere indicium, Galilæa sonantem
Verba, neque hanc alibi sic increbrescere pestem.
Queîs ille auditis, animo confusus inerti
Non tantùm negat, & mendaci peierat ore,
Sed diras adhibet, diris se deuouet amens,
Si non vera refert. Necdum se lingua tenebat
Cum gallus caneret, lucémque in tecta vocaret,
Atque alia ex aliis subiens tormenta benigno
Respiceret Petrum vultu conuertere sontes
Quem iuuat in melius, veniámque impendere lapsis.
Nulla mora, aspectu solo (Tantum instar in illo est)
Ad sese rediens, dominíque effata recordans,
Dat gemitum, & properat scelerata excedere ab aula.
Inde accusantem sese, atque immane dolentem,
Numinis ac læsi pacem per vota precantem
Ille dies, altérque dies, & natus ab illo
Tertius aspexit placidi sine munere somni
In lacrymas fluere, & vacuis tabescere venis,
Donec iam domita victor de morte triumphans

Adderet afflictæ Christus solatia menti.
Iamq́; Aurora nouo splendescere cœperat ortu,
Cum sacri coëunt proceres, iterumq́; rogatum
Cælesti de progenie, nec vera negantem
Condemnant iterum, & manibus post terga reuinctis
Abductum rapiunt Romani ad Præsidis ædes.
Quod simul ac vidit, nec iam dubitabat Iudas
Quin turpi afficerent leto quem tradidit illis
Ipse quidem, ast aliquâ seruari posse putabat,
Ingemuit, guttisq́; rigans ardentibus ora
Protinus insonti acceptos pro corpore nummos,
Ipse sui testis sceleris fraudisq́; nefandæ,
Porticibus templi magna spectante corona
Ipsorum ante pedes ad quos ea cura redibat
Proiicit, irrisus quòd facta infecta volendo
Nequicquam saperet. Tum verò excanduit acri
Bile tumens, piget ora virûm, lucémque tueri.
Ac solis errans siluis dum facta recenset
Impia, nec precibus cura est inflectere Numen,
Vltrices adsunt Furiæ, quæ verbere cæco
Perculsum exagitent animum, flammásque rotatis
Intentent facibus. Fœdo stat pallor in ore,
Sanguinei turgent oculi, tremor occupat artus.
Ilicet inuisam properans abrumpere vitam
Ficulnum infœlix legit ad suspendia truncum.
A quo semianimis compresso gutture pendens
Diffisso crepuit ventre, atque ita morte pudenda
Deformem Stygias animam transmisit ad vmbras
Exemplo horrendo, quanquam (si dicere fas est)
Deterius peccent multi. Quos sera moratur
Pœna quidem, at tanto grauior pòst exitus instat.
At verò nummos, pretium quòd sanguinis essent,
Pontifices veriti fiscis immittere sacris,
Conuertere aliò. figuli nam pauperis agrum,
Egestumq́ue luto, & nullis sementibus aptum,
Vilibus

Vilibus emere hospitibus commune sepulcrum,
Infandum æterno signantes nomine factum.
Iámque omnis magno penetrarat turba tumultu
Iudicis ad sedem, nec tectum ingressa, quòd illud
(Non etiam insontem nulla malè perdere causa)
Relligio haud sineret, spatiosa sed atria circum
Perstabat non digna fremens. It clamor ad auras.
Protinus excitus thalamo se proripit ille,
Et matutinos tanto concurrere motu
Admirans, rogat ecquid eos perturbet, & vnde
Causa mali. neque enim proceres quoque adesse frequentes
Pro nihilo ducens, etiam grauiora timebat.
Illi indignantes captiuum obtrudere, & vnà
Poscere supplicium. Sed quo pro crimine iussi
Pandere, conclamant a se procul absore vt vllum
Ad pœnam poscant quem non & noxa sequatur.
Accipiant igitur monet ipse, vltique nocentem
Absistant, patriis modò cautum ita legibus esset.
At veriti patrio ne si de more periret
Coniectu lapidum multo minus improba ferret
Supplicia expeteret quàm dira ac sæua libido,
Infando obtendunt sceleri pia sacra, negántque
Dedere posse neci quamuis extrema merentem
Exempla, vt gentem qui penè euerterit omnem,
Obstiterit fisco, pendenda tributa negarit
Cæsaribus, quò sceptra sibi regnumq́; pararet;
Quandoquidem plebi regem se iactet inerti.
Hæc vbi narrassent, quamuis conficta videbat
Romulides, tali nec conuenientia capto;
Semotum tamen à turba scitatur an ergo
Rex sit, & angustis vnde hæc fiducia rebus.
At Christus, ne forte virum grauis auferat error
Aduersis ductum studiis, & fraude maligna,
Respondet regem se nolle, aut posse negare,
Sed regem regni quod non mortalibus vllis

Pendeat

Pendeat auxiliis. nam decertare parati
Astarent domino, ruerent & in arma ministri.
Longè alia, atque alibi sibi parta exurgere regna,
Sed colere interea terras, vt amabile verum
Eruat, & veri cultoribus imperet æquus.
Hic igitur rogat ille quid hoc quod nomine verum
Dicat, & antè abiens sibi quam responsa dabantur,
Edicit populo nullum deprendere sese
Crimen. At hi contrà fanda atque infanda locuti,
Dum cœptum perhibent Galilæa per oppida adusque
Iam Solymos venisse malum, facili annuit aure
Pontius. Et miserè cupiens hoc fasce leuari,
Herodi, cui pars regni forte illa paterni
Cesserat, (vt Solymis tunc opportunus agebat)
Imperat adduci tacito tot probra ferentem
Ore reum. (cuius propter facta inclita fama
Rex gaudens aditu, propius quò nosse daretur
Artificem simul, atque artem explorare videndo,
Quanquam iterum instabat probris ferus hostis acerbis,
Suspensum blando primum sermone tenebat.
Dein quoniam neque signa dedit, neque verba remisit
Vlla quibus magnum sibi conciliaret amicum,
Indutum tunicis, quòd eum contemneret, albis
Reddidit, & veteres cum Præside finiit iras.
Hic iterum coëunt, iterum conuicia fundunt
Pontifices, certi nunquam desistere cœpto.
Occlamat tamen insontem damnare recusans
Romulides, postquam Herodis quoque calculus illum
Soluerat. At spreto hibernus velut aggere torrens,
Sic spreta Iflacidæ infreni ratione ruebant.
Mos erat ob festi quod tunc instabat honorem
Vinctum aliquem immunem populo donare volenti.
Quod cum negligerent proceres, ne liber abiret
Quem rapere & sæuis absumere dentibus optent,
Plebs tamen vrgeret morem seruarier æquum,

Sponte ſua Preſes verbis hortatur amicis
Hunc poſcant, regemq́; ſuum Chriſtumq́;, quod illis
Non ignarus eum paſſim conſueſſe vocari
Vocibus, aduerſum Patres, quos ſola mouebat
Inuidia, à populo ſeruari poſſe putaret.
Sed fruſtra. Quod cum prudens aduerteret ipſe,
An malint igitur Barabam rogat, inq́; merentem
Perdere ſtet potius iuſtas quàm ſumere pœnas?
Nam Baraba neque deterior, neque turpior alter,
Qui latrociniis tota notiſſimus vrbe,
Ciuem etiam raptis in turba occiderat armis.
His verſi dictis animi, plebéſque moueri
Cœperat. At proceres ſumma nituntur opum vi
Latronem vt ſeruent, regem dominumq́; trucident.
Dúmque aliis alii mutabile vulgus adorti
Artibus hoc agitant, Romanum exterruit vxor,
Horrida nocturnas ſibi quæ ſint viſa per vmbras
Enarrans, precibúſque monens ne ſéque domúmque
Perdat ob infenſos inſontis ſanguine Diuos.
Quæ dum cura virum tacito ſub pectore torquet,
Exoritur clamor, nec lætas perculit aures
Poſcentum Baraban, Baraban vno ore ſonantum.
Nec contrà iam verba valent monitúſque precéſque.
Quàm magis inſanos compeſcere nititur orſis,
Tam magis igneſcunt animi, & ſe ſuſcitat ira.
Proſpiciens igitur rabidam ſinè ſanguinis hauſtu
Sedari non poſſe ſitim, concidere flagris
Imperat, vt tetro ſtillantia membra cruore,
Nudatóſque artus, atque illacrymabile corpus
Oſtentans animos miteſcere cogat acerbos.
Nec mora, ceu viſa catuli ſue fertur in vnum
Tota cohors, auidi ſibi qui ſine Cæſare regnum
Sumat, vt inſanum, quanis malè perdere regem.
Deripiunt igitur tunicas, raptántque feroci
Horrida flagra manu. Stat nuda affixa columnæ

Brachia constrictis tendens liuentia nodis.
Ac velut aëriam si quando euertere quercum
Alpini certant Boreæ, gemit ictibus æther,
Ipsa inuicta manet, nec turbine frangitur vllo;
Sic illi incutiant cæco licet vsque furore
Verbera, quo latè sonitu percussa resultant
Atria, constanti perfert fortissimus ipse
Pectore, & illæsum seruat genitoris amorem.
Nec virgis adeò discindere corpus honestum
Est satis, ad risus etiam & spectacula sæuas
Exercent pœnas. nam tanquam rex foret alto
Impositum solio circumstant agmine læto,
Atque humeros super, & perfusum sanguine pectus
Coccineam inducunt chlamydem, dein vertice sacro
Consertam spinis figunt de more coronam.
At sceptrum inseritur dextræ fluuialis arundo.
Quem gestans habitum regum rex maximus (eheu)
Quæ non fanda, infanda tulit? nam ludicra tanquam
Res foret, vt pasti per florea prata iuuenci
Et latera, & circum saliunt caput. Inde cruentas
Lasciui repetunt pœnas, pars vellere barbam
Gaudet, & immunda totum conspergere arena,
Pars spuere in faciem, & duros impingere pugnos.
Dumq; nouo apparent per tanta opprobria regi,
Admirans tam longa trahi tormenta reuertit
Pontius, atque animo quamuis non cerneret æquo
Supplicia iniussa, & diras sine crimine pœnas,
Obticuit tamen, hac specie fera corda domari
Posse ratus triplici quamuis circumdata ferro.
Horrendis igitur squalentem sordibus ipse
Ipse reum ductans dextra, & crudelia passum
Ostentans populo, atque illuc intenta referri
Ora iubens, tristi tandem sic voce profatur,
Hunc neque conuictum, nec quicquam sponte fatentem,
Sed monitum flagris, ne quis dein publica turbet

Otis, dimitti satius quam morte suprema
Effugere afflictæ mansura opprobria vitæ.
Quod vobis igitur melius, quod durius illi,
Hoc agite, & tantos placidi componite motus.
Talibus obtundens lassas rationibus aures
Non magis inflexit sensus animosq́; malignos
Quàm cautem illisi fluctus, aut litora venti.
Sicut enim celerem nacta per deuia ceruum
Latratu incurruntq́; canes, prædamq́; sequuntur
Quo se cunque ferat, sic semper vocibus iisdem
Infesti Isácidæ tolli celsáq́; iubebant
Suffigi trabe qui sese regemq́; Deumq́;
Diceret, & cæli & Romæ sceptra tenenti
Inuisus pariter. Quæ se verba impia iam iam
Nolle pati, aut alium Romano agnoscere regem.
His ille auditis, vt si via fallat euntem,
Substitit, incertus quò se discrimine tanto
Verteret, hinc Diuûm metuens, hinc Cæsaris iram.
Ergo iterum interiora petens iterum iubet ad se
Adduci captum, rogat ecquos sanguine Diuos
Attingat, quis, & vnde domo. Sed vana roganti
Vt nil respondit, commota Pontius ira,
Túne (inquit) mihi verba negas, vitæq́; necisq́;
Subdita cui fortuna tua? Quem Christus amicis
Castigans fastum verbis, diuinitus ipsi
Hoc monet esse datum, quo se ne iactet inanis.
Atque adeò, quanquam non inculpatus abiret,
Deterius peccasse tamen qui fraude nefanda
Perculit immeritum, atque insontem prodidit amens.
Dixerat, & dictis hominem permouerat æquis,
Certaq́; iam stabat sententia parcere capto.
Sed magnis iterum populi clamoribus actus,
Vt nautæ aduersis acti in contraria ventis,
Succubuit tandem, atque animo defecit inerti.
Heu quàm difficile est verum seruare tot inter

Errorum illecebras, & tecti præmia falsi!
Et iustum, & sanctum, & penitus sine crimine notum
Concidi flagris populi sedanda furentis
Seditio impulerat, turpi nunc perdere leto
Imperat ambitio, & Romani gratia regis.
Antè tamen quàm fas violet, damnetq́ cruentæ
Morte virum proprio delicta aliena piantem
Sanguine, ceu sacris quæ victima caditur aris,
Sublimi effultus solio iubet ante tribunal
Fulmineos ferri latices, lotisq́ velut qui
Peccata elueret manibus, se crimine soluens,
Ac damnans alios, Quò me fera vestra libido
Inuitum cogit, nullum mihi (dixit) in ista
Cæde nefas. Vos hæc vos hæc commissa luetis.
Illi indignantes longo nimis atque molesto
Supplicium sermone trahi, Tu sospes abito,
Acclamant. Si quas Deus hoc pro sanguine pœnas
Exposcet, nobis, nostrisq́ minoribus olim
Incumbat quodcunque mali est, perdatq́ volentes.
Sic dira obstricti prece postquam à iudice tantum
In se conuertere nefas, permissa potestas
Vt Barabam seruent, vitæ præcepta ferentem
Supplicio afficiant. Quæ seditionis adepti
Præmia consurgunt animis, ruit vndique magno
Cum strepitu plebs sæuà furens. Furit insuper atrox
Miles, & in pœnas odio succensus iniquo,
Carnificum partes subiens, quascunque nocendi
Pectore condiderat fecundo exercitus artes,
Vnius exitio gestit depromere latus.
Nec lasso breuis vlla quies, aut pausa malorum.
Principio Tyriam, (quod regni insigne gerebat)
Concretam tabo, atque hærentem visceree nudo,
Deripiunt costis chlamydem, vestemq́ reponunt
Consuetam, vnde nouo crudescunt vulnera tactu.
Inde grauem nodis, crudoq́ e robore sectam

Impo-

Imponunt sine more crucem. Subit ille laborem
Sponte sua, nudis gradiens super aspera plantis.
Mox impar humeris cum iam succumberet, ægrè
Progrediens porta, miles non tardus iniquo
Tarda ferens animo, quendam (vt tunc rure redibat,
Nam Solymos patriis migrauerat antè Cyrenis)
Simonem arripuit, Christum qui ponè sequendo,
Vir bonus, & patiens, tali nec inutilis arti,
Partiretur onus. Nimis ô nimis ille beatus,
Cuius ad exemplum tanto duce dura ferendo
Participes onerum referent quoque præmia laudum.
Nec tanto in numero deerant quibus atra furentum
Displicuit rabies, lacrymas quoque fundere visa
Cum gemitu matrésque piæ, teneræq; puellæ.
Quas placido aspiciens vultu mitissimus ille,
O natæ Isácidûm, Solymæ infelicis alumnæ,
Quas mestæ pro me lacrymas nunc funditis (inquit)
Pro vobis potius, vestrísque effundite natis,
Tantorum quos iusta manet vindicta malorum.
Tempus enim veniet nuptis quo nomina matrum
Sint odio, laudent steriles, subsidere montes
Exoptent, findíque solum, inuoluique ruina.
Nam succi qui plena solo plantaria vellunt
Arida quid facient? Sic euentura notando
Tempora in aduersum conatur scandere cliuum.
Conantem impediunt illi, raptántque, ruúntque
Nunc huc, nunc aliò, donec sub pondere iniquo
Multà gemens tandem scruposi vertice montis
Infami campo, disiectisque ossibus albo,
Dum quæ supplicio extremo sint apta parantur,
Calcatis æger pedibus, plagisq; fatiscens,
Restitit. At silice in nuda dum lassa reponit
Membra dolens, quæ damnatis miscere solebant
Pocula vitigeno vires reparantia succo
Hi felle, hi & myrrha inficiunt. Gustata sed ipse

Respuit, ingrata gentis tam perfida damnans
Munera, & infandos auidus finire labores.
Iam tuba commissis celso velut aggere ludis
Tristia clarisono populum ad spectacula cantu
Exciverat, mixtiq; equites, peditésque ruebant,
Visuri domita figi de morte tropæum.
Ergo in conspectu postquam vrbs se effuderat omnis
Infelix Iudæa tuo, fera munera miles
Perficit, atque iterum detracta veste retectis
Horrendum plagis infami stipite corpus
Extendens, clauos (Quæ maior pœna?) trabales
Corripit, & ferro multa vi annixus acuto
Perfossas figitque manus, figitque cruentos
Inde pedes. Crebris resonans gemit ictibus ingens
Mons circum, & mæsta demisso vertice silua.
Olli iterum obtritis, quæ pars mollissima, neruis
(Heu mihi) quàm vehemens oritur dolor! Et tamen acer
Vincit amor, vincit pietas, & viuida virtus
Quô premitur magis, hôc contrà feruentior instat.
Atque ita funesti peragunt dum iussa ministri,
Iamque erecta solo crux horrida surgit ab alto,
(Horrida tunc, nostra nunc spes æterna salutis,
Atque adeò mediis fulgens pulcherrima templis,
Cultáque præcipuo mortales inter honore)
En mater, si iam mater quæ funera nati
Prænoscens afflicta domi atque immota sedebat
Depositæ similis, quanquam prodire vetabant
Et pudor & tenero dura sub pectore cura,
Prodibat tamen, vt coràm mala cernere tanta
Posset, & ipsa suos miserando incendere luctus,
Atque aliquam tanti partem sentire doloris.
Accedunt paucæ comites. Dux omnibus anteit
Fidus Iohannes, sinceri exemplar amoris.
Quo signante viam postquam trans mœnia tandem
Peruentum ad montem est, ô quæ suspiria? quali

Cum gemitu? Silet ipsa tamen, nec verba remittit
Vlla, nec indignum quicquam, aut molitur ineptum,
Sed fidens animi (haud equidem sine Numine certo)
Ausa per obstantes virgo penetrare cohortes
In nati conspectum, atque illic sistere fœdos
Carnifices inter, queîs nulla immanior vsquam
Bellua, profundens lacrymas, & pectora subter
Tot pariter tormenta ferens quot corpore plagas
Filius. Immeritam cui si depellere mortem
Morte queat, secura sui deposceret vltrò
Supplicium, & sæuas expleret sanguine mentes.
Multa vetant. Igitur diuini conscia partus,
Ac nati reputans dicta, atque ingentia facta,
Spem certam fouet exiguo se tempore forti
Dura ferentem animo dein non peritura manere
Gaudia, conspecto rediuiuo à funere nato.
Nec tamen interea minus acri concita amore
Suspicit vndantes suffuso sanguine vultus,
Expectans cara si quid velit ille parenti.
Verba absunt. Nec verba queant aquare dolorem.
At verò rex Isacidûm (neque enim altera causa
Inseritur titulis ob quam suspensus ab alto
Pendeat infamis trunco) seruare nocentes
Dum cupit ipse insons, serpens vt aheneus ille
Quem diro auxilium morbo dux corniger olim
Extulit, æthereos latè magna agmina circum
Intendens oculos, certam mortalibus ægris
Spondet opem, spondet veniam, distentaq; pandens
Brachia in amplexus vocat vltrò, & vertice prono
Annuit optanti votis quod concipit æquis.
Sed contrà scelerata cohors nil impia præter
Verba refert. Ipsi proceres teterrima primi
Eructant, fœdisq; incestant vocibus auras,
En Diuûm genus, en templi destructor, & idem
Conditor. Ecqua tuo pro te nunc cura parenti?

Si qui seruarit alios discrimine tanto
Iam seipsum seruet, summos tum poscat honores,
Et regnum poscat. Regno potiatur auito
Si cruce desiliat, nodósque & vincula rumpat.
Nos quoque consilia in melius mutabimus, & iam
Te sequimur. Tu res eia ô ne desere nostras.
His alternantes regémque Deúmque ferebant
Laudibus. At ferro quis tam graue vulnus adacto
Inferat, vt dira superet fera verbera lingua?
Et tamen (ô pietas!) precibus petit ille furenti
Flagitium ignosci populo, pœnámque remitti
Ignaris quem sic feriant, quem voce lacessant.
Quin geminos inter pendens vtrimque latrones
Opprobria hinc etiam, dum debacchantur & ipsi,
Non leuiora tulit. Dispar tamen exitus illis.
Nam dextrum qui forte latus claudebat vt ad se
Mox rediit, socium perstantem, ac dira canentem
Excipit increpitans, O rerum oblite tuarum
Quid iuuat insonti sontem te illudere dictis?
Nos meritò hæc patimur, quin & grauiora meremur
Quàm patimur, quorum sceleri atq; immanibus ausis
Non mors vna satis. Sed enim quid proximus iste
Commeruit? Fert dura tamen, superátque ferendo.
Hæc fatus, commissa dolens, atque vnde salutis
Spes erat huc vertens oculos, sic ore profatur,
O domine æterno cum iam regnabis Olympo
Sit tibi cura mei. Cui rex, ingentia quanquam
Præmia poscenti nullo merita ante labore,
Elysios mundi campos, vitámque perennem
Annuit exemplo insigni, quocunque rogetur
Tempore, se, vitæ modò nos immaniter actæ
Peniteat, facilem præbere rogantibus aurem.
Interea mæstam morientia lumina vertens
Ad matrem, & matris comitem, quo carior alter
Non erat, a teneris nec ei coniunctior annis,

En (inquit) mulier nati cui nomina serues.
Túque hanc ô iuuenis caram mihi suscipe matrem.
Dixit, & æternum dictis afflauit amorem,
Testamentum ingens. neque enim possederat vllas
Quas heres tacito subter præcordia risu
Ferret opes. Vestes verò iam miles habebat,
Vt plexi spolium, diuisas partibus æquis
Quatuor, excepta tunica, quæ textilis illi,
Nec consuta fuit, matris venerabile donum.
Quam, ne secta minus solitos seruiret in vsus,
Sortiti fuerant talis, vt cederet vni
Tota per immensum nulli violabilis aunm.
Sic vates cecinere pij. Nec mystica desit
Causa, sed ingratum festino abrumpere luctum,
Et monstrare Deum. Deus est Deus ille nefande
Quem velut obstrictum sceleri gens perfida morti
Obiicis, & regnis quòd te magis omnibus vnam
Extulit, hos illi scelerata impendis honores,
Horridior saxis, quandò illa luce dolebant
Omnia quæ cæli subter fulgentia signa
Produxit Natura parens. Quin tunc etiam Sol
Aureus obscura nitidos ferrugine vultus
Texit, & ingenti inuoluens caligine mundum
Ignotas etiam, atque alio sub sidere gentes
Terruit, & magnos docuit non temnere Diuos.
At Solymi (ah) Solymi, quos hæc ostenta petebant,
Non timuere tamen, sed adhuc immane frementes
Instabant operi, donec suprema viderent
Funera, necdum vna posituri morte furorem.
Tres panè elapsæ spatiis æqualibus horæ
Ex quo deformi pendens a stipite tandem
Effusas inter tenebras Solisq; labores
Inclinare diem sensit, corpusq; relinqui
Exangue, atque animum superas contendere in oras.
Ergo nudatus sociis, nudatus amicis,

Solus, inops, laceros monstrans crudeliter artus,
Implorat genitorem, & Quò deuenimus inquit
O Deus? An tanto solum in discrimine linquis?
Qua patrio sic verba palam sermone locutus,
Creditus est aliis Heliam accersere votis.
Expectant igitur si quâ descendere cælo
Heliam videant, & opem præbere roganti,
Ignari quanto Helia præstantior esset
Quem tunc crudeli certabant perdere leto.
Ipse patris summi se iam cælestia iussa
Expleuisse videns, tanquam certamine lento
Perfuncti pugiles, infracta voce sitire
Sese ait. At siccas non tam sitis arida fauces
Vrebat, quàm cor nostræ pia cura salutis.
Atque adeò hyssopo quod mixtum astabat acetum,
Sistendis inter tormenta cruoribus aptum,
Spongia uti calamo prætenta admouerat ori,
Libauit patiens. Inde omnia ritè peracta
Effatus, repetítque preces, manibúsque parentis
Insontem tradens animam, ac vertice prono
Demissos claudens oculos, in voce suprema
Hæsit, & æthereas sic vita recessit in auras.

LÆVINI TORRENTII DE CRVENTO D. N. IESV CHRISTI SACRIFICIO,

LIBER IIII.



T verò exanimos dissolui corporis artus,
Corporis eximij, cui se diuina propago
Induerat casta nascens de virginis aluo,
Indignans magis atq; magis rerũ almacreatrix,
Quam Deus esse sui voluit vim numinis olim
Cum semel æternis fundauit legibus orbem,

Natura,

Natura, ingentem gemitum dedit. Vnde repente
Contremuit tellus, tremuit simul arduus æther,
Et media intendens tenebras de luce coortas
Attonitam horribili formidine perculit vrbem.
Quin etiam sacris adytis arcentia plebem
Vela, tot anteactos iam formidata per annos,
Nec sonti cuiquam, nec prætereunda profano,
Tunc subitò discissa notabant omine certo
Mutanda imperia, ac priscæ mysteria gentis
In melius, cæsò sacris felicibus Agno.
Post quem nulla truces dein mactaretur ad aras
Victima, nec fusò manarent templa cruore,
Sed pater omnipotens solo contentus honore
Pontificis Christi, Christo sponsore benignas,
Si puris libent manibus, si pectore puro,
Præberet sine cæde boum poscentibus aures.
His magis horrendum, magis admirabile monstrum
Accessit, quòd humata olim ac defleta piorum
Corpora, præstantum vita dum vita manebat,
Diffissis tumuli saxis rediuiua trementi
Exiliere solo, dein visa atque agnita multis
Haud dubiam fecere fidem vi numinis eius
Qui mortem vicit moriens cælestia pandi
Atria, turbatis duri penetralibus Orci.
Sed pauci (ah) pauci quos hæc ostenta monebant
Vera sequi, & mersos errorum in nocte profunda
Mortales oculos æterno attollere Olympo.
Ambitio obstabat procerum, ac toti insita genti
Perfidia, & praua perstans vesania mentis.
At qui Romanæ astabat de more cohortis
Centurio, cui supplicij commissa cruenti
Cura fuit, (veteres Longinum nomine dicunt)
Anxius obseruans quò res tam turbida tandem
Vergeret, vt vidit tantos consurgere motus,
Ingemuit miserans, ac tundens pectora palmis,

En (inquit) quo non melior, neque iustior alter,
Occidit. Et dubitem cælesti stirpe creatum
Quem dolet extinctum tellus, quem maximus æther,
Et pœnas simul insonti pro sanguine poscunt?
Sic ille, atque alij, duris exercita castris
Turba quidem, at molles vincens pietate cathedras
Pontificum. Quorum egregijs si consona dictis
Facta forent, non tot quaterent erroribus orbem
Dira superstitio, ac leuis inconstantia vulgi.
Pauca præterea matres, quas relligiosus
Traxit amor, Christum solitæ quocunque moueret
Sponte sequi, ac præbere inopi quæ posceret vsus
(O pietas! ò feminei laus vnica sexus!)
Rebus in angustis, ne tunc quoque tempore summo
Vsquam aberant. Flentes igitur, quanto acrius illum
Ardebant, tanto cura maiore metuq;
Seruabant quæ tam variè simul orta fuissent
Prodigia, humanas nimium terrentia mentes.
Hæ tabulæ, hi testes, atque hæc monumenta furoris
Infelix Iudæa tui, quæ sola recusas
Credere quod scopuli collésque & saxa loquuntur,
Esse Deum quem tu crudeli funere mactas.
Atque vtinam mactes tantum. Culpa omnis in vna
Perfidia est, hanc tolle, nihil mactasse nocebit.
Turbato interea descendit vesper Olympo.
Et quia funestis crucibus pendentia linqui
Corpora relligio vetuit, cum proximus esset
Ille dies toto nullus quo sanctior anno,
Præfectum exorant Solymi ne Sabbata turbet,
(Scilicet!) informi si fixa cadauera trunco
Horrescant Superi, atque auertant lumina sacris.
Nec mora, qui mortem accelerans succidere crura
Iussus erat secto latronum poplite postquam
Ad Christum veniens oculos in morte sepultos
Aspexit, pressitq; gradum, ferrumq; recondens

Abstinuit

Abstinuit scelere, haud equidem sine Numine. namque
Mysticus ille, sacris quem sueti apponere mensis,
Integer ac nullis confractis ossibus agnus
Absumendus erat. Sed enim crudelior alter
Ferratum manibus quod forte hastile tenebat
Infixit lateri. Tactum quo vulnere corpus
Exanimum roseo manantem sanguine riuum
Permixta profudit aqua. Quo pignore laeti
Lustrali primùm abluimur diuinitus vnda,
Aptamurq́; Deo, sacro dein viscere pasti
Terrenam exuimus molem, cæloq́; locamur
Felices animæ, sumpturi corpora rursus,
Corpora sed nullis deinceps obnoxia fatis,
Cum mortis domitor, mundi regnator Iesus
Cælicolûm populo & sancto comitante Senatu
Exacti veniet iudex æquissimus æui,
Certaq́; felicis gestans insignia pugnæ,
Transfixas ferro plantas pectusq́; manusq́;,
Gaudiaq́; horroremq́; feret iustisq́; malisq́;.
Dúmque ea Iudæos nequicquam cura tenebat,
Securos quo iure cadat, quo iudice quem sic
Aggressi vt caueis emissa frementibus atrox
Bellua quos sors cunque, aut pœna obiecerit hostes,
Sollicito metuens animo ne membra magistri
Proiecta aspiceret iusti sine honore sepulcri
Fidus Iösippus, cui clarum Arimathide ab vrbe
Nomen erat, præstans opibus, præstantior acri
Virtutum studio, cum tandem exacta videret
Supplicia, ingressus Romani Præsidis aulam
Pontificum spretis odijs ius poscit humandi
Corporis. Ast ille, audito quòd mortuus esset,
Inuitus viuum quem sustulit haud inuitus
Reddidit extinctum. Quo tanto munere lætus
Vir pius, intactum sibi quod de rupe recisa
Seruabat monumentum ingens hunc vertit in vsum,

Ac tenui contexta parans velamina lino
Accingit se operi. Socio acceditque labori
Nicodemus, & ipse pari pietate magistro
Inferias properans. nam myrrham aloënque ferebat,
Et quicquid patrio gentis de more sepulcris
Conuenit in luctu magni morientis amici.
His illi instructi rebus lacrymabile corpus
Conscenso immani trunco, clauisque refixis
Demissum subeunt humeris, positúmque parentis
In gremio, fletúmque diu, abstersúmque cruore
Textilibus cingunt velis. Strophium ipsa sacrato
Nectit odoratum capiti mæstissima mater.
Verbáque post suprema, atque oscula mille cauato
Molliter imponunt saxo, cumulatáque dona
Vnà omnes spargunt lacrymis, quas pectore tristi
Profudit sincerus amor. Sic rite peracto
Officio pater ipse loci (Locus assitus vrbi
Hortus erat) magnum magno conamine clausis
Aduoluit foribus lapidem, extremúsque recessit.
Interea tristi nox cælum obtexerat vmbra,
Inque vicem roseis iam lucem Aurora ferebat
Vecta rotis. Sed enim neque tam solennia sacra,
Nec præscripta quies, atque otia debita sacris
Indomitam poterant procerum compescere mentem
Quominus infando post horrida fata tumultu
Compositos agerent Manes, rueréntque sepulcro.
O nunquam saturata malis vindicta, quid vltrà
Quæris? Habes auida demens quas fauce sitisti
Insontis pœnas. Quæ te noua suscitat ira?
Aut quid adhuc superest quod iam sentire sepultum
Posse putes? Mæstos cum solaretur amicos,
Vt qui iterum superas esset venturus in oras,
Pollicitum audierant aliam post funera vitam.
Hinc veriti ne forte potiti corpore furtim
Incolumen fingant socij, & plebs credula falsi

Commo-

Commotam magnis rumoribus impleat vrbem,
Solliciti rectorem adeunt, discrimina regni
Proponunt, si qui ante alios subduxerat Orco
Ipse redux oculos impostor fascinet ægros,
Erroremque alium semper nouus aggeret error.
Quos ille irridens monitus, Ea vestra sit (inquit)
Cura, nec in Laruas vires arcessite nostras.
Conducunt igitur vigiles, atque agmine tuto
Obsessum seruant tumulum, & ne fallere possint
Ipsi custodes, commissis annulus ingens
Imprimitur saxis, fraudis certissimus index
Si fraudem quis forte paret. Tum denique læti
Festa superstructis ineunt conuiuia mensis,
Securi scelerum, & non vanæ Numinis ira.
Nec tamen vna omnes cepit dementia. Verum
Dum varijs magna studijs certatur in vrbe,
Hi metuunt, sperant alij, sua quemque libido
Mittit in auspicium, & nunc huc nunc diuidit illuc,
Atque ita neglectis temerant sua Sabbata sacris;
In cruce suspensos qui iam modò liquerat artus
Spiritus, exutus vinclis, & liber ab omni
Mole, per obstantes penetrans in Tartara terras,
Per loca senta situ & longa squallentia nocte,
Vestibulo in magno primæq; ad limina portæ
Bella mouens, ipsos vocat in certamina furui
Primores populi. Iubet alto a cardine tolli
Ferratos Erebi postes, atque ardua pandi
Atria, quâ duri patet ingens regia Ditis.
Illi indignari primùm, mox turpiter vnà
Ingenti trepidare metu. Fremit ipse tyrannus
Sæua tuens. Sed nec tanto contendere regi,
Quem decus & virtus & gloria cingit euntem,
Ausit, & ausurus neque iam consistere vires,
Nec quicquam veteres procedere sentiat artes.
Quas malè nunc odit, nunc execratur, & optat

Infectos abysse dolos quibus occidit ille
Cuius morte salus alÿs, sibi pœna suisq;
Parta foret. Quare fractus formidine densa
Sepsit se nebula, barathrique in valle reducta
Desedit, subuersa dolens immania regna.
Tunc ergo æterno munita robore, nulla
Nec vi, nec prece, nec fuluo penetrante metallo,
Impulsu mandantis heri velut ariete crebro
Disiecta patuere fores, subitoq; tumultu
Attoniti cessere loci statione relicta
Lucifugæ fratres, fœda atque incondita turba,
Et factum in pœnas hominum genus, aspera semper
Supplicia & sæuas exercens sontibus iras.
Est locus (inuisi pomœria dixeris Orci)
Horridus ille quidem, tristiq; inamabilis vmbra.
Funesti nemoris, pigra nec amœnior vnda,
Quam diffusa palus stagnis includit opacis
Semper iners, semper torpenti nubila fumo.
Non illic virides prætexunt gramina ripas,
Pascua non flores, non fetus educat arbor,
Nec teneros auium nidos suspendit ab alto
Dulcisonum tenui meditantes gutture carmen.
Omnia mæsta silent. quis enim sine luminis aura
Lætitiæ locus est? Sed pix, sed flagra, sed ignes,
Ceteráque impuros Erebi torquentia Manes
Supplicia absistunt, ea tantum cura fatigat,
Sperata quòd luce carent diuinitus orti
Qui se cognato poterant attollere cælo
Si non primæui obstiterant admissa parentis.
O sedem inuisam! Terras & flumina subter
Depressæ lugent, optantq; euadere in auras
Insignes animæ, generis stirps inclita nostri,
Iapetusq;, Noasq;, & qui sine patre creatus
(Sic limum formante Deo, vitámque mouente)
Impleuit magnum dein successoribus orbem.

Quid sobolem Abrami veteris, tot nomina regum,
Quidve pios memorem vates? Rex maximus idem,
Atque idem vates multo certissimus, ipse
Iessides etiam has sedes lucosq; tenebat.
Qui tunc forte leui tremulas sub pollice chordas
Fatidica tangens cithara cum proxima iam iam
Gaudia veraci caneret mirantibus ore,
Non aliter magna quàm si succurreret vrbi
Obsessa, longamq; famem pestemq; ferenti,
Ac penitus dura versanti in limine mortis,
Vltor adest, largo latè loca lumine complens.
Protinus abscedunt cura, merorq;, dolorq;,
Succedit tranquilla quies, & dulcia mentis
Otia, qua cali ciues liberrima ducunt.
Ergo exultantes pariter pariterq; trementes
Numinis aspectu iucundo horrore fruuntur,
Ac circumfusi regem plaudente corona
Sit placidus mitisque, incœptàque gaudia firmet
Pro se quisque rogant. Ipse amplexatus amicos,
Transactam reputans olim sine crimine vitam,
Gaudet, & vt norint causam qua Tartara adire
Impulit, aeterni profert arcana parentis
Consilia; vt lecta conceptum virginis aluo
Et nasci, & natum duros tolerare labores
Iusserit, ac tandem post horrida fata sepulcro
Condier, & clauso non antè exurgere saxo
Quàm castos adeat Manes, atque eruat Orco
Felices, iusto quos secum inferre triumpho
Possit, & athereo victor transcribere calo
Emeritos, latis vbi Diuûm accumbere mensis,
Et liceat dulci deponere nectare curas.
His postquam attentas permulsit vocibus aures,
Atque animos tanti fulgore accendit honoris,
Pramissis solum paucis qui corpora rursus
Ingressi notis monstrent se ciuibus, atque

Perculsam

Perculsam moueant ostentis talibus vrbem,
(Mutato interea Genióque habitúque locorum
Donec eum læti reducem super astra sequantur)
Ipse etiam repetens tumulum se infundit in artus,
Corporeos equidem, atque eadem (mirabile) forma
Qua nuper fuerant, sed quos non corporis vlla
Afficiat labes, non vlla iniuria tangat,
Nil obstare queat quo motu cunque ferantur.
Tantum illis & lucis inest cælestis, & auræ.
Illæsis igitur claustris signisque sepulcri,
Tertius efferret primos cum Lucifer ignes,
Inciperétque diem quo non felicior alter
Illuxit, mota penitus tellure repente
Auditi strepitus, leuibúsque per æthera pennis
Cælicolûm fulsere acies. Queîs testibus ille
Ille sua qui sponte cruentæ se obtulit aræ
Agnus vti nunc arma mouet, velut excitus antro
Indomitus mouet arma leo, medióśque per enses
Seruantum, & lato præfixa hastilia ferro
Tendit, & aërias penetrat rediuiuus in auras
Horrendæ domitor mortis, Ditísque superbi.
At trepidi vigiles, magna mercede coëmpti
Custodire locum, furésque arcere sepulto,
Incerti quò se tanto in discrimine vertant,
Abiectos inter clypeos formidine turpi
Incubuere solo. Quo vixdum horrore soluto,
En aliud quo se prodat diuina potestas
Indicium. cælesti etenim de chorte satelles,
At nec voce minax, nec formidabilis armis,
Fulmineo tantùm aspectu qui terreat hostem,
Cetera candenti tectus velamine vestis,
Impositum tota custodum astante corona
Attonita mutáque metu dicto ocius alto
Deuoluit tumulo lapidem. Superassidet ipse
Ipse palam. Fugiunt illi, munúsque relinquunt,

Testati quàm grande nefas si obsistere Diuis
Mortalis forsan tentet furor irrita voluens
Consilia, insano non processura labore.
At verò promissa ferens solatia matrem
Victor adit. Sedet illa, graui moritura dolore
Ni mæstam spes alma leuet recreetq́; monendo
Vt certò expectet redeuntem à funere natum.
Natum igitur dum mente fouens noctesq́; diesq́;
Cogitat hoc solo defixa in nomine, tandem
Exoptatus adest. Stupet illa, incertaq́; primò
An natum, an nati videat simulacra, veretur
Ne nimium sibi fidat amor. Verum obuius ipse
Infert sese oculis caræ genitricis, & acres
Illabens aperit sensus, cogitq́; fateri
Nil fictum nec inane geri. Quin nomine matrem
Appellans veris testatur vocibus id se
Esse quod ante fuit. Palmas ad sidera tollens
Ingentes virgo grates natoq́; patriq́;
Ritè refert. Gaudent simul ambo. Alterna sequuntur
Alloquia, exhaustos iuuat auscultare labores.
Parte alia sociis operum comitata duabus,
Impatiensq́; moræ pulcherrima Magdalene,
Æternum spirans ardenti pectore amorem,
Mox vbi seruatis transissent Sabbata sacris,
Insomnem ducens noctem, iam mane recenti
Egreditur portis secum funebria portans
Munera, Idumæos, tumulo quos didat, odores.
Dumq́; simul properant motæ non omina terræ,
Non cæli strepitus incœptam quo minus ausint
Ire viam prohibent, verum custodia terret,
Tot vigiles oculi, molesq́; immensa sepulcro
Obdita, femineis ægrè cessura lacertis.
His ergo intentæ curis, nec sequius illi
Confisæ qui cuncta potest, sæpe inter eundum
Effusis lacrymis, quoties infanda magistri

 Supplicia,

Supplicia, & dura subiisset mortis imago,
Tandem peruenere locum quo tempore iam iam
Dilapsi vigiles fœdo se protenus illinc
Proripuere metu. Cernunt manifesta pudenda
Signa fugæ, cernunt loca sola, hortiq; remotum
A foribus saxum. Dein succedentibus antro
Confestim dextra monumenti a parte refulgens
Apparet cæli interpres, demissus ab alto.
Et quanquam trepidare vetat, tamen ipsa timorem
Res tulit. Ille igitur verbis sic fatur amicis,
Horrescant alij, vos ô pia turba timere
Non decet. Affixum modò quem cruce mole sub ista
Quæritis, (haud ignota loquor) non ille sepulcro
Clauditur, æthereа viuens sed vescitur aura,
Sicut & ipse suæ mortis momenta, nouamq;
Prædixit (meminisse licet) post funera vitam.
Aspicite en vacuam defuncti corporis arcam.
Discipulis itaque, & Petro rem dicite, iussi
Vt Galilæa petant, tendet quò præuius, arua.
Sic ait. Accedunt propius, verumq; fatentur.
Cumque externata mentem vestigia paullum
Flexissent, duo præterea vultuq; habituq;
Primo illi non dissimiles in lumine claro
Conspexere viros. Oculos quos tollere contrà
Non ausæ stabant pauidæ, vocemq; premebant.
Illi autem percontati cur quærere viuum
Defunctos inter veniant, non dissona dictis
Vno ambo simul ore ferunt, lætasq; remittunt.
Lætitiæ tamen horror inest ob visa repente
Maxima, non oculis nostris, non auribus apta.
Atque adeò in populum verita dispergere famam
Discipulos adeunt. Sed & ipsi immane dolentes,
Conceptum possent licet hinc lenire dolorem,
Verbis nullam habuere fidem, quin somnia visi
Audire, & vacui deliria vana cerebri.

Solus Iohannes ac Petrus, pectora quorum
Magdalena suis poterat peruellere dictis,
Curriculo monumenta petunt. Sed grandior ætas,
Assidua & lacrymæ, quibus hic commissa piabat,
Tardauere virum, multo prior appulit alter,
Et præstans animi, & florentibus integer annis.
Verum dum trepidans ad limina prima moratur,
Contentus vidisse cauam sine corpore rupem,
Occupat ille locum, & penitus sacraria lustrans,
(Ingresso mox & socio) nil lintea præter,
Et cari seorsim capitis diadema repostum
Repperit. Exhalat suauem locus omnis odorem,
Et volucres læto permulcent æthera cantu,
Terraq; purpureos submittit dædala flores,
Natura victoris heri plaudente triumpho.
Atque illi, ignari rerum, miracula fando
Audita euenisse vident, sed vt aëre denso,
Aut vda septi nebula, nec carmina vatum
Expendunt animis, nec magni dicta magistri
Mente tenent. Abeunt igitur, repetuntq; Penates
Promissi immemores regni sortisq; beatæ.
Forte secuta viros ostenti nuncia, tandem
Suscepti cupiens euentum nosse laboris,
Ante fores stabat, nec discedentibus illis
Cessit & ipsa loco, sola ac deserta per agros
Ah desiderio mentem percussa fideli
Quærebat dominum, domino suprema negari
Munera lugebat, traiectisq; oscula plantis.
Heu quoties agro rupit de pectore questus!
Heu quoties tristi suspiria duxit ab ore,
Ac lacrymis perfusa genas votisq; vocauit
Et precibus dulci compellans nomine Jesum!
Quos inter gemitus latebras dum forte per omnes
Respicit, en iterum supera de sede profecti
Siderei iuuenes dextra læuaq; cauato

Insidunt lapidi, & luctus quæ caussa requirunt.
Illa refert, Dominum cuius sum saucia amore
Nocturni rapuere, at raptum vbi deinde locarint
Nescio. Sic dicens vt forte obuerterat ora,
Quæsitum videt, & submissa voce rogantem
Quid ploret, quémve exoptet sibi mæsta repertum,
Agricolam credens, custodem aut ipsius horti,
(Æthereum tali nam texit imagine vultum)
Quisquis es hospes, (ait) tu si illum forte tulisti,
Dic vbi condideris. Veniam, referamq́; sepulcro.
Talia dicentem dubitare diutius æquo
Non sinit omnipotens. Nec longa ambage moratur,
Verbo vno penetrat mentem, Mariamq́; vocando
Suscitat oppressos velut ægro in corpore sensus.
Nec mora, consueto postquam de more magistrum
Dixerat, aduoluens genibus, prensare parabat,
Votaq́; defuncto viuenti porgere dona.
Ille vetat, differre iubens, non ardua cæli
Tam cito scansurus regna vt non talibus ante
Sit locus officiis. Eat ergo, & fratribus ista
Nunciet, in regni socios quos ipse futuri
Legerit, heredes summi patrisq́; Deique.
Iussa redit, rediensq́; aliis occurrit amicis,
Quas idem stimularat amor studiumque, sepulto
Reddere quos ardens pietas vouisset honores.
Dumq́; inter sese dicta acceptaq́; salute
Verba serunt, iterum manifesta in luce refulgens
Astitit. Astantem submisso poplite matres
Agnoscunt pauidæ, ac præsens vti Numen adorant,
Instaurantq́; preces. Sed & has discedere in vrbem
Intrepidas iubet, & sociis quæ gesta referre.
Quo facto, at frustra, (neque enim narrantibus illi
Adiecere fidem, mersi caligine cæca)
Ipse Petrum visurus abit, non vana dolentem,
Antè quòd admissæ noua nunc opprobria culpæ

Accedant, viso nondum sibi femina princeps
Quem vidisset ouans. Nec ei cedebat amore.
Ergo indulgentem lacrymis, & cruda nouantem
Vulnera solatur miserans, quassatáq; firmat
Pectora, nec tristi patitur succumbere luctu.
Interea vigiles sparsi magna atria circum
Excusare fugam. Trepidi coëre frequenti
Concilio Patres. Illi cuncti ordine narrant,
Vt terræ tremor, vt commoti murmura cæli,
Ac iuuenum ignotæ species fulgentibus alis
Terruerint animos; nullum venisse per vmbras
Mortalem, nil fraude noua, nil viribus actum;
Et tamen effractis monumenta patescere claustris,
Nec quicquam vacua cerni nisi lintea in vrna,
Indicio insigni non furtim, at numine Diuûm
Id factum quodcunque vident. Neque desore testes
Complures alios, si se fortasse refellant.
Talibus auditis quamuis exurgeret imo
Corde dolor, sæuas tamen efferuescere in iras
Haud passi, stultum placidis reprendere verbis
Errorem cœpere virûm, qui fata refigi,
Aut flecti Manes, functosq; & lumine cassos
Posse redire putent. Notum quibus artibus ille
Impostor tenebras populo offudisset inani.
Has etiam docuisse suos, quò fallere posset
Mortuus, & longum diffundere nomen in æuum.
Qui potuit Stygiis animam subducere regnis
Quin potius turpem defendit corpore mortem?
Desistant igitur, nec vana & ludicra narrent,
Somnia, fabellas ad pensa canentibus apta;
Sed quod sit, verumq; sonet, penetretq; per aures,
Hoc spargant auidè, & famæ dent vela secundæ,
Nempe per obscurum noctis cum vincta teneret
Membra sopor (siue id magica sic accidit arte)
Defuncti quosdam comitum ceu dona ferentes

Occultis subiisse viis, corpusq; magistri
Asportasse loco, & mutatis fraude sepulcri
Fingere nunc reducem nostra nil lucis egentem.
Nec satis, instructis addat quod pondera verbis,
Præmia dant, atque æra iubent appendere latis,
Néue reformident offensi Præsidis iram,
Iniussi excubiis quòd discessere relictis,
Hoc quoque promittunt curæ fore. Denique vincunt
Munera, confictam glomerant mendacia famam,
Sed frustra. neque enim tam vili teste moueri
Fas erat æternæ certissima fœdera vitæ,
Certior est aliunde fides. Nos ista canamus.
Postquam fœmineis parcebant credere dictis
Supplicio ducis horrendo, tristiq; ruina
Afflicti comites, viduæ ceu funere matris
Pupilli, quos dura domi perturbat egestas,
Signa dedit manifesta magis, conspectus & ipsis
Sæpe viris. Quorum e numero cùm forte Cleopas,
Fidus & Amaon, (siue is cognomine Lucas,
Siue alius fuerit) Solymis Emaunta petentes,
Ab cari præceptoris de cæde nefanda
Multa modis questi variis, fusisq; subinde
Aspersi lacrymis, iter hoc sermone leuarent,
Ipse peregrini sancta venientis ab vrbe
Cultum habitumq; gerens medium sese obtulit vltrò,
Percontans quid agant, mæstiq; alterna loquantur.
Cui maior, Quod scis equidem ne quære doceri
Hospes, ait. Solymis veniens his acta diebus
Solus an ignoras? Dein necdum scire fatenti
Cuncta refert, ignarus eant quas verba per aures,
Concessum terris diuino numine vatem,
Insignem meritis vatem, dictisq; verendum;
Cui Nazara domus, notum cui nomen Iesus.
At talem tantumq; virum, quem plurima fama

Æquabat cælo, tandem quia facta notabat
Improba, nec prauè corrumpi sacra sinebat,
Pontificum incurrisse odium, atque id morte piasse,
Indigna sanè, & multis immanè dolenda,
Sed sibi præcipuè, qui nomina tanta secuti
Extulerint animos ob spem surgentis in illo
Isacidum regni, quæ nunc frustrentur inanes.
Tertia quandoquidem lux penè effluxerit acti
Supplicij, at nulla audiri solatia luctus
Femineas præter voces, quæ viuere dicant
Defunctum, quandò hoc supera de sede profecti
Testentur volucres. Quos se vidisse professæ
Impulerint etiam socios accurrere, & omnem
Explorare locum, haud multum diuersa ferentes.
Sed necdum reperisse ducem, nec scire quid ipsi
Acciderit, vacuam cerni tamen ossibus vrnam.
Hactenus humano secum de more locutos
Tam malè quòd memori mysteria mente tenerent
Non tulit vlterius mundi sator, atque ita fatur,
O stulti, ò segnes priscorum oracula vatum
Quæ par est versare fide. quippe illa monerent
Promissum Isacidis regem, qui sæcula condat
Aurea, non aliter quàm vos nunc ore refertis,
Exortum terris, post horrida funera clauso
Surgentem tumulo patrium conscendere cælum
Fas esse, & toto latè dominarier orbe.
Sic orsus, magni diuina volumina Mosis,
Atque alia ex aliis subtexens carmina, Christum
Explicat, atque hominum docet instaurasse salutem.
Et iam finis erat, Phœbo maioribus vmbris
Inclinante diem, parua cum mœnibus vrbis
Successere viri, comitemq́ in tecta vocabant.
Et quanquam superesse viam sibi fingeret, intrò
Corripuere tamen. Dein quo potuere paratu
Dum posita excipiunt mensa, Cerealia forte

Ipse manu frangens porgebat vt ordine dona,
Agnitus, amplexus fugiens & verba precantum,
Confestim liquidas abiit diuersus in auras.
Ast illi roseum suffusi fronte pudorem,
Quòd somno depressa graui non antè leuassent
Lumina, cum vatum repetens monumenta priorum
Accendit dictis animos, nubemq́; remouit,
Erroris poscunt veniam. Mensisq́; relictis
Quam venere viam prima de nocte remensi
Primores adeunt comitum, sua gaudia narrant,
Inq́; vicem accipiunt, visum iam denique visum
Ipsi etiam Petro dominum. Neque sic tamen actis
Plena fides, obstant tenebræ, curæq́; recursant,
Nec quassam terrore sinunt consistere mentem,
Vulnera adhuc versantum animo plagasq́; crucesque;
Haud aliter capta quàm cum furit impius vrbe
Miles, & igne necans & ferro & tristibus vndis,
Si quem libertatis amor, sobolisque, Larisq́;
Misit in arma virum, qui non tamen occubet armis,
Auxilio incolumis Diuûm patriæq́; superstes,
Quamuis inde alias concesserit exul ad oras,
Horror inest oculis, fronti nox incubat atra,
Ipse velut mediis ardens in cædibus errat
Immemor, in somnos etiam cum membra resoluit
Iactata nunc bella manu, nunc voce retractans,
Donec longa dies tantos sedauerit æstus.
Forte sub aduentum noctis, quia fama ferebat,
Iam reducem dominum, tecto coiere sub vno
Selecti comitum. (Sæuæ at formidine gentis
Vectibus, & duri firmo munimine postis
Occlusas tenuere fores) Cenantibus ipse
Atque super cenam de se diuersa locutis
Vt celer è rapidis proruptus nubibus ignis
In medio conspectus adest, pacemq́; precatus,
En ego sum, timor absit, ait. Vox cognita sensum,

Perculit.

Perculit. Obstupuere omnes, regemq́ patremque,
Esse rati vacuam simulati corporis umbram,
Expauere suum. Quem cum deprenderet ipse
Errorem, occurrit miserans, pectusq́ manusq́
Perfossas ferro trepidis ostendit, & (ultrà
Quod dubitare vetet. nam gaudia iuncta pauori
Turbabant animos) cenæ pars si qua superfit,
Ferre iubet, positisq́ fauis ac pisce retosto
Vescitur, inuitans alios, dapibusq́ remotis
Segnes increpitans oculos, & pectora cæca,
Et tam difficiles verum narrantibus aures.
Mox placidus tamen, & pacem impartitus amicis,
Cælestem inspirat sacris afflatibus auram,
Et sua ferre iubet legatos iussa per orbem
Imperio fultos ingenti, ut soluere possint
Ac damnare reos, cæloq́ Ereboq́ locare
Pro meritis, ut certa fides, vel adegerit error
Aut noua sacra sequi, vitamq́ expendere sacris,
Aut patrare nefas, priscisq́ hærere tenebris.
Atque ita dum læto plaudunt sua gaudia gestu
Fallens per medios abiit, cœtumq́ reliquit.
At Thomas aberat, Didymus cognomine, & ipse
Bissenos inter magno nunc cultus honore,
Qui Christi pia signa tulit per Bactra, per Indos
Victor, & Hyrcanas docuit mansuescere tigres.
Tunc tardè excitus latebris; quò degener illum
Compulerat timor, & vitæ nimis anxia cura,
Quæcunque affirment alij, tot testibus acta,
Tot manifesta modis, durus meliora doceri
Credere posse negat. Coram vult brachia diræ
Fixa cruci, fossumq́ latus, plagasq́ cruentas
Tangere, ne solo tentet si corpora visu
Spectra leues fallant oculos, & imagine vana
Incurrant animo vera rationis egenti.
Hunc itaque (ô pietas!) medio velut æquore cæcis

Infixum scopulis optata absistere meta
Non tulit humani generis pater optimus. Ergo
Septima lux postquam noctis concesserat atra
Rursus conuenere viri, plenóque Senatu
(Nam Thomas aderat) multi cum multa referrent
De duce qui moriens Inferni claustra refregit,
Ipse locum per inane petens, fratrésque reuisens,
Per clausas, velut antè, fores in lumine claro
Se confessus adest. Tenuere silentia cuncti,
Cum Didymum aggrediens dictis, non vana pauentem,
Imperat inserta scrutari vulnera dextra.
Ast ille aduoluens genibus, quàm turbidus antè,
Tam mitis placidusq́;, videns per candida membra
Ceu fusas ardere rosas, gemmásue rubentes,
Agnoscit veram effigiem, dominúmque Deúmque
Confessus, veniámque rogans, hanc Numinis ore
Iucundam nobis nostrísque minoribus olim
Elicuit vocem. nam tu comperta videndo
Credis, ait, Venient olìm viuéntque beati,
Credere quos non visa iuuet, Christúmque fateri.
O quàm difficile est mortali mole retentos
Humanos animos superas assurgere in auras,
Principium finémque suum quò nosse laborent,
Non agitante Deo! Cuius tum filius, idem
Æquæuus, quicquid faceret, quæcunque moneret,
Frustra erat ille labor, donec super æthera vectus
Vreret æterna feruentia viscera flamma,
Firmaretque viros. Tunc tunc meminisse iuuabat
Auctoris Christi, tunc inclita facta referre
Impauidos, regésque simul regúmque ministros
Spernere nequicquam cuneósque vncósque minantes.
Quanquam igitur toties reducem videre, nec vllo
Fas dubitare modo, nondum tamen arsit in illis
Verus amor, veróque fides comes addita amori.
Ante quidem sacri diuinus anhelitus oris

Pectora

Pectora firmarat cœptis ingentibus apta,
Grata sed expectanda dies diuinitus olim
Decreta, & latos tandem visura triumphos.
Atque adeò plausus inter regisque recepti
Gaudia, cum possent non deteriora secuti
Res alias agere, atque alijs accingier orsis,
Pars bona, quos septem numero dux Petrus agebat,
Solliciti antiqua victum meditantur ab arte,
Piscatúmque abeunt, obliti nomina regi
Cum primum dixere suo non humida iussos
Lina, nec occultos intendere piscibus hamos,
Sed tali abductos studio & certamine lucri
Capturas hominum cælestibus addere regnis.
Instructis ergo ratibus per stagna lacúsque
Quos instar maris attollit voluentibus vndis
Iordanis pater, & vicinas educat vrbes,
Ire parant, nullas si non maiora capessant
Passuri insidias, quæ tunc vel maxima cura.
Iámque per extentam spectarant sidera noctem
Intentos operi, lucémque Aurora ferebat,
(At piscem toto scrutati gurgite nullum
Invenere viri, vacui lassique fremebant)
Cum vanum aspiciens mæstos agitare laborem
Ignoto fulgens habitu prædator Auerni
Indoluit, vocémque dedit de litore curuo,
Ecquid agant rogitans, & siqua obsonia feruent.
Cúmque illi, quod erat, nil se prendisse referrent,
Dextrum (ait) ô pueri dextrum latus vda lacessant
Retia, nec iactu descendent irrita inani.
Quod iussi faciunt, dextram petit impete magno
Tota cohors. Sonat vnda vadis elisa refusis
Dum subit ac glomerans sese vltrò in vincula condit
Squamigerum pecus, & tremulo ferit æquora saltu.
Attoniti monstris depressam pondere cymbam
Vix tenuere. Silent alij, sed mente sagaci

Ad

Ad Petrum flectens oculos nutantiaque ora
Primus Iohannes, Herus est herus, inquit. At ille
Tam bona non surdas simulac vox attigit aures,
Totus vt incumbens operi nudauerat artus,
Iniecta tantum togula, succinctus in altum
Prosilit, & celeri tranans freta cærula lapsu
Ad dominum contendit iter. Pars cetera remis
Ponè sequens lembum subigit, prædamq; natantum.
Postquam vnà appulerant omnes, litusq; tenebant,
Egressi ducis ante pedes obsonia panè
Cocta vident. Lento pisces torrentur ab igne
Impositi prunis, quos dura atque arida tellus
Summisit mandante Deo. Nec farrea deerant
Liba. Sed his epulis diuina sorte paratis
Adiungi prædæ partem iubet. Aduolat ergo
Ante alios senior Petrus, vastamq; sagenam
Extrahit irruptam, quamuis ingentia centum
Quinquaginta aliis alia interstincta figuris
Corpora substrata moribunda extenderet alga.
Accurrunt deinde & socij, quæque optima gustu
Lecta manu spoliant squamis, finduntque, lauantque,
Atque in frusta secant, prunisq; ardentibus aptant.
Ipse pater viuo factam de cespite mensam
Monstrat, & herboso constrata sedilia musco,
Quo simulac iam membra toro flexere, per omnes
Partitur sua dona dapes, panemq; ministrat,
Et lassis reparat vires, redditq; vigorem,
Agnitus haud dubiè, quanquam neque proferat ipse,
Nec quis sit rogitent alij, turbéntue molesti.
Sed postquam depulsa fames, mysteria surgens
Aggreditur, patrium mox conscensurus Olympum
Pastorem partis sibi nuper ouilibus vt te
Te Petre instituat, per te sua maxima firmet
Imperia, atque tuis mox successoribus auctet.
Nec leuiter res tanta agitur, ter voce rogatus

Ecquid amet dominumq́; colat, ter ſpondet amorem,
Et toties vt paſcat oues, vt paſcat & agnos
Poſcitur illacrymans, memor (ah) ter vt antè negarit
Tam carum caput, & ſerua externarit inertem.
Ne tamen ignoret paſcendi munera quantis
Plena minis, quanto veniant implenda labore,
Antè, (ait) vt iuuenem decuit, florentibus annis,
Præcinctus quocunque pedes te ſponte ferebant
Acceſti, moremq́; animo geſſiſſe iuuabat.
Grandior at poſtquam declinem exceperit ætas,
Iniectis alij manibus rapientq́; trahentq́;
Quo nolis. Sed tu veſtigia noſtra ſecutus
Carpe viam. Hoc ille oraclo non mollia fata
Sortitus, quærens ſocium, cum forte propinquum
Diſcipulum aſpiceret primas in amore ferentem,
Sollicitè rogat ecquid & hunc tam dura manerent.
Sed percontanti reſponſa incerta dabantur,
Si donec redeo volo eum remanere, quid ad te?
Tu modò me ſequere, & quæ ſunt tibi cunque ferenda
Ipſe ſubi, nec quære alios miſcere labori.
Sic ait. Et quanquam ſermonem in nube tegebat,
Creditus eſt tamen æternam promittere vitam
Dilecto ante alios iuueni. Cui poſtera fecit
Fama fidem. ſeris nam iam pleniſſimus annis
Compoſitum ingreſſus tumulum, diuinitus illinc
(Vt noſtri tradunt proaui, credentq́; nepotes,
Incertum tamen an viuens, an morte repenti)
Raptus ad æthereas non vltrà apparuit oras.
Poſtquam ſic toties rediuiuum corpus apertis
Obiectando oculis ſatis obfirmata ſuorum
Pectora perſpexit rerum ſator, ipſe parentis
(Scilicet imperij iam ſucceſſore relicto)
Ardua maturam cæleſtia ſcandere regna,
Idq́; palam, quotquot norat ſua ſigna ſecutos,
Permixtos ducibus quos tunc Galilæa tenebat,

Effusa quà rara Thabor perfrigerat vmbra,
Occupat, & latis spem quam dedit implet amicis.
Et quanquam (vt magno in numero) non omnibus idem
Ardor erat, victáque eadem fiducia mortis,
Augustam tamen effigiem splendentiáque ora
Regis vt aspexere sui, nouus incidit horror,
Concipiúntque preces, & flexo poplite adorant.
Ast ille accedens propius, Iam vicimus, (inquit)
Omnia iam mihi posse datur, terráque quod vsquam est
Et cælo regere, & toto dominarier orbe.
Vos igitur, pia turba, meis exercita sacris,
Quæcunque humanæ memores præcepta salutis
Audistis quà se pandit latissima tellus
Ferte viri, & puris mystas abstergite lymphis,
Voce Patrem, Natumq́ simul, sacramq́ cientes
Rite Auram. Qui crediderit, lustralibus vndis
Tinctus in æterno felix regnabit Olympo.
Qui non crediderit, miserum sententia tristis
Merget in æternam iusto sub iudice noctem.
Nec verò ambiguis credentum maxima virtus
Se feret indiciis. Si quos malus obsidet artus
Spiritus, extemplò nostri vi nominis illum
Eiicientq́ procul, nigra atque in Tartara mittent.
Tum si forte noua sit opus mysteria lingua
Tradere per positas alio sub sidere gentes,
Auditor patrio mirabitur ore locutos.
Serpentes etiam tollent, & plena veneni
Pocula securis ducent innoxia labris,
Et cuicunque velint ægro depellere febres,
Aridus attactu fugiet dolor ossa relinquens.
Macti animis. Mea vos tutos præsentia seruat,
Seruabitq́ omni terris dum viuitur æuo.
His dictis mulcens animos, penetransq́ sub imum
Pectus, & arcanis aptans sermonibus aures,
Fatidicos vates, priscarum ænigmata legum,
Iessæosq́

Iessaosque aperit cantus, & quicquid in illis
Praedictum exemplis id se diuinitus omne
Impleuisse docet, sic nasci, & viuere, demum
Sic decuisse mori, & mortem superare relicto
Surgentem tumulo, & cæli supera alta secantem,
Vnde sit ætherei missurus dona parentis.
Quo facto, exorsi à Solymis per maxima mundi
Regna sui mandata ferant patrisq́, Deiq́,
Praeclari testes operis, monitisq́, verendi,
Vt pigeat scelerum, redeat sua gratia lapsis.
Nec mora, supremum sic tunc affatus amicos,
Ante alios matrem, suspiria longa trahentem,
Bethaniam veniens, atque hospita tecta reuisens,
Nec renuens summa sociis se iungere mensa,
Hinc ad oliuiferum flexit vestigia collem.
Atque ibi stans cœtu in medio pulcherrimus ipse,
Sublatis altè manibus, vultuq́, decoro
Praefatus bona verba suis, pacemq́, precatus,
Molliter aërias librat se sponte per auras,
Cognatosq́, inter proceres quos eruit Orci
Faucibus, effuso toto ad spectacula cælo,
Candentis nebulæ tenui velatus amictu,
Ascendit patris solium, dextraq́, locatus
Æternos iniit victor memorandus honores.

LÆVINI

LÆVINI TORRENTII DE CRVENTO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SACRIFICIO.

LIBER V.


BSTVPVERE *omnes, cæloq; intenta tenebant*
Lumina, cum gemini, ceu rupti nubibus ignes,
Velati niueis cælestia corpora pallis
Emicuere viri, mediijq; aſtante corona
Talia voce ferunt, Cur ô Galilæa propago
Erecto aſpicitis fulgentia nubila vultu?
Hic ipſe humani generis ſeruator Ieſus
Vt coram ſuperas abiit ſublimis in arces
Sic veniet cum iura dabit, victiq; triumphum
Orbis aget, vindex ſcelerum, laudator honeſti.
At vos interea læti diſcedite in vrbem,
Atque illic quæ pollicitus ſua maxima dona
Expectate viri. neque enim dimittet inanes.
Sic moniti pergunt Solymos, vnoq; recepti
Hoſpitio ſacræ ſeruant conſortia menſæ
Vnanimes, eademq; & velle & nolle parati,
Voluentesq; animo diuini dicta magiſtri,
Dicta, quibus ſanctum toties laudaſſet amorem,
Coniunctis ineunt alacres pia fœdera dextris.
Omnibus vna præeſt Virgo, coniúxq; parénsq;
Alma Dei, ſociisq; ſuos impartit honores,
Conſilio, exemploq; iuuans, & moribus aureis.
Et quanquam dubitare nefas quin proximus eſſet
Ille dies promiſſa ferens ſolatia mæſtis,
Non tamen idcirco ſegnes animisq; remiſſi
Deſcedere viri, ſed certa incerta putantes
Si nullo adiutent agiles ſua vota labore,
Ardeſcunt ſtudiis. Iuuat ire per ardua fortes,
Virtutemque ſequi. Quin quanto gratia maior

Quæ sese acceptos cælo carósq; videbant,
Tanto sollicitè magis obseruantq; coluntq;
Auctorem, veriti ne reiiciantur inertes,
Vt qui ferre velint pulchram sine puluere palmam:
Vsqueadeo vitanda omnis velut improba Siren
Desidia est, segnesq; mora, & malè credula semper
Tardaque, & ignauo torpens fiducia somno.
Interea fugiunt quæ se putat illa tenere,
Et sera irrisa gemit infortunia dextra.
Illi igitur, sacri tanquam noua germina regni,
Vndeni in primis proceres, pulcherrima mundi
Lumina ad æternam nobis præeuntia vitam,
Securi spondente Deo, qui fallere nescit,
(Non tamen vt nullum incutiant humana timorem.
Agnoscunt etenim veteris vestigia culpæ,
Cum fœdè, quamuis & multa & magna loquuti,
Deseruere suum medio in discrimine regem)
Assiduè inuigilant templo, Numenq; fatigant
Supplicibus votis. Quibus & ieiunia iungunt,
Non aliam esse viam moniti qua fortiter hostem,
Lasciuosq; doment animos, sensusq; rebelles.
Has igitur fundunt imo de pectore voces.
Omnipotens, æterne Deus; qui summa gubernas
Infimaque, & rebus sic te simul omnibus infers,
Omnia alens, hilaransq;, & magno numine complens,
Vt sine te non esse queat, non viuere quicquam;
Humani generis quoniam tibi maxima cura est,
(Cuius in obsequium non solum cuncta creasti,
Verùm etiam afflictum primæua ab stirpe parentum
Dilecti, ô pietas!, effuso sanguine nati
Erexti, æthereis non passus vt exulet oris)
Ipse autem natus regni rerumq; suarum
Fundamenta locans, tua laus, tua maxima virtus,
Nos sibi delegit comites operumq; ministros
Tantorum, fratresq; atque appellauit amicos,

(Vnde & adoptiuo tibi nos cognomine iunxit)
Haud equidem tanto digni quòd simus honore,
Obscuri, agrestes, inopes, sine gente domóque,
Dilegit tamen, & dignos dabit esse volendo;
(Nec tu quod nolis volet ipse) ô rexq́; patérque,
Qui terram, pontumq́; regis, cælumq́; profundum,
Haud bonitate minus quàm maiestate verendus,
Non nostro nixis merito, sed numine nati
Quam petimus fer opem, & propius res aspice nostras.
Nati causa agitur. Tu nato infusus, & idem
Cum nato, quamuis persona & nomine dispar,
Haud alium nato moliris sanctе laborem,
Et par humana studium est vtrique salutis.
Cuius nos aliquam si fas attingere partem,
(Filius æternum nam conscensurus Olympum
Sic docuit magnum cum nos dimisit in orbem
Legatos monitisque suis sacrisque ferendis,
Lustrauitque nouos sacro spiramine mystas,
Iussit & affusa detergere crimina lympha,
Purgati sedes possent vt adire beatas,
Nec dubium quin hac eadem tua certa voluntas)
O genitor confirma animos, & suffice vires,
Quamq́; iterum atque iterum te supplice voce rogamus
Affer opem, paruumq́ue gregem defende periclis.
Respice dilectam tibi de tot millibus vnam,
Quam colimus, sponsamq́ue tuam, natiq́; parentem.
Poscit idem, & quamuis eius certissima apud te
Gratia, nullius culpa labefacta pudore,
Poscit idem, secura sui, sed publica quærens
Commoda, & in nostrum semper propensa fauorem.
Exigui numero parua trabe currimus æquor
Immensum, nullis opibus, nec viribus vsi.
Tu rector, tu remigium, tu clauus, & arbor,
Veláque, & antennæ, tu prora, & puppis, & omne
Instrumentum artis, tumidos quæ spernere fluctus

Audet,

Audet, & infestis vectorem immittere ventis.
Te sequimur, natúmque tuum. Nec Spiritus ille
Defuerit parili quem produxisti amore,
Ipse amor, atque omnis seu fons, seu fomes amoris,
Cælesti accendens mortalia viscera flamma,
Non terrore vllo, non vi, non morte domanda.
Talibus orabant dictis, noctesq́; diesq́;
Intenti studiisq́; simul pietatis, & vnà
Solliciti ne qua possent offendere culpa.
Non tamen interea cessabant cetera vitæ
Officia. admoniti Petro referente vacare
Quippe locum quo deciderat sceleratus Iüdas,
(Nam cum bissenos inter numeratus obisset,
Expleri sacer hic numerus debebat, vt olim
Isacidæ æquarent totidem de sanguine natos)
Concilium indicunt proceres. Venere vocati
Centum ac bis deni, dederant qui nomina sacræ
Militiæ, magni tantilla exordia regni.
Quos inter senior, merito prælatus honore,
Conuentus memorans causas, vt perfidus ille
Victus auaritia turpi, vilisque lucelli
Illecebra sæuo regem (prò dedecus!) hosti
Sponte sua (namque ipse ducem se præbuit amens)
Prodiderit, (Nec cura fuit commissa piare.
Vnde infelici deformis ab arbore pendens
Terram inter cælumq́; , vt & hoc & perderet illam,
Supplicio infami, diffisso ventre, pudendam
Finierat vitam) fratres hortatur vt illi
Dent successorem melius qui iussa magistri
Impleat, & latè portet mandata per orbem.
Esse etenim monitum Iessidæ carmine vatis
Talis vt in dominum domini quæ dona tenebat
Perdat, & in sortem veniat præstantior alter.
Sic ille, & tacitum seruans sub pectore vulnus,
Quòd dominum ter & ipse suum miser antè negasset,

Non tenuit lacrymas, vt nec tenuere profundo
Permixtas gemitu quotquot tam mæsta loquentem
Audierant. neque enim vllus erat se dicere posset
Qui nulla insontem penitus pallescere culpa.
Præterea subeunt animis opprobria mille,
Tot plagæ, structiq; doli, irrisusq; procaces,
Vulneraq;, hamataq; sacrato in vertice spinæ,
Infixi manibus claui pedibusq; trabales,
(Vnde cruor, saniesq;, oppletaq; sordibus ora)
Summaq; supplicij, crux detestanda latrones
Inter, & astantem caro cum fratre parentem.
Quæ medio tunc in cœtu lugentium & ipsa
Mæsta quidem, constans tamen & formidinis expers,
Alloquio dulci comites affata, benignum
Spondebat natum, cœptisq; instare iubebat.
De supplendo igitur magno sanctoq; Senatu
Quam suasit genitrix legem, Petrusq; rogauit,
Læti omnes statuunt. Sed quis successor habendus
Ambigitur, non quòd consensum rumperet audax
Ambitio, aut fallens fucato gratia vultu;
(Non ea nam tali pestis regnabat in aula)
Sed duo non magnis opibus, neque sanguine clari,
At virtute pares, adeò discrimine nullo,
Censeri vt possent inter se penè gemelli,
Alter Iösippus, pulchro cognomine Iustus,
Matthias alter, primis laudatus ab annis,
Sistuntur medij. Dein supplice voce precati
Rite Deum quotcunque aderant, quando intima soli
Viscera nosse datum, & verum dignoscere falso,
Diuinis aptum officiis vt vtrumlibet horum
Surroget, vnde suis cecidisset proditor ausis.
Dant sortes, vrnamq; mouent: Sors exilit æqua
Matthiæ. Sequitur plausus, deinde oscula iungunt,
Amplexiq; virum sublimi in sede locarunt,
Non aliter quàm si rex ipse optasset eundem

Christus

Christus dum species humana & vita manebat,
Exemplo insigni, veniens quod prosit in æuum,
Scilicet vt norint homines eadem omnia posse
Quæ Christum Christi comites, comitumq; minores,
Præfectos quos rite suo delegit ouili.
O Deus! ô pietas! Quæ nostræ hæc cura salutis?
Túne tuos vt me serues mihi cedis honores?
Quas heu quas tanto referam pro munere grates?
Non alias quàm tute velis. Tu suffice robur,
Et dum te canimus quamuis non digna canamus,
Qualescunq; tamen non aspernare Camenas.
Sic ergo expletâ procerum iam classe suprema,
Cuius ab imperio penderet cetera pubes,
Perdomitura orbem, sed necdum libera curis,
Cælestes poterant quas solæ abstergere flammæ,
Formidansq; malos hostes, iam rege remoto
Intentos ipsum cum rege excindere regnum,
Absente vt pastore gregi lupus imminet acer;
Ne superante metu spem quisquam amitteret omnem,
Impatiensq; moræ vicina atque obuia quæq;
Arriperet, spernens quæ promittuntur in annos,
Nec cerni possunt, oculis imperuia nostris,
Ille opifex rerum, mundiq; assertor Iesus
Optatam & toties precibus votisq; petitam
Accelerabat opem. nam quamuis dura per omnem
Vt vitam ipse tulit, sic nobis dura ferenda
Edixit, voluitq; sequi se dura ferentem,
Naturæ tamen humanæ, qua se induit vltrò,
Conscius, iniusto non fert nos fasce grauari,
Aut minuens onus, aut dans in certamina vires.
Vincereq; est illi confidere, nec tamen vllum,
Quâ perferre queas, subterfugisse laborem.
Iamq; dies aderat maiorum more perenni
Relligione sacer, quòd quinquagesimus illum
Exciperet quem Pascha vocant. Et vt hunc mare sicco

Calcatum pede cum fugerent Nilotica regna
Ornati spoliis omnes & diuite gaza,
Sic illum fecit celebrem festumq; quotannis
Tempore quod tali Sinai in vertice montis
Isacidæ trepidi legem accepere, magistram
Iustitiæ, cultusq; Dei, cultusq; parentum.
Quam sæuos inter strepitus, sonitúmque tubarum,
Fumúmque, & piceæ permixta tonitrua flammæ,
Diuinis sculptam digitis, dux corniger olim
Pertulit, & seros iussit seruare nepotes.
Hanc igitur festi causam qui sanxerat illud
Confirmare volens, & quod sub nube latebat
Eruere, ac terris generosum prodere verum,
Non vmbra, vt Moses, & re sine tristis imago,
Quæ desiderium moueat, neque compleat vnquam,
Sed vis ipsa boni, tanto præstantior illo
Quanto lux tenebris melior, dux milite maior;
Nuper vt alterius festi solennia seruans
Mosaicos oculis fecit comprendere ritus,
Victima cum sacram cecidit tener agnus ad aram,
Sic etiam festo accingens se rite secundo
Euoluit dubios tot circum oracula sensus,
Lex ipse, & nostris inaratum mentibus æquum.
Nec vero horribili quatiens formidine gentes
Arcuit accessu quemquam, renuitque videri
Obscura tectus nebula & caligine densa,
Tum si quis propius ferret vestigia, diram
Increpitans, etiam pecori, pro crimine mortem,
Sed mitis placidusque aderat cuicunque vocanti.
Vsqueadeo nostros postquam semel induit artus
Nos amat, atque illi sumus, & nostra omnia curæ.
Ergo expectatam cernens erumpere lucem
Quam canimus, multo antè sacram, at maioribus olim
Sacrandam auspiciis, omni vt venerabilis æuo
Permaneat magnus quam latè extenditur orbis,

Astitit

Astitit ante patris solium qua parte serenos
Cælum aperit campos, gemmatáque floribus arua.
Atque illic medius procerum quos faucibus Orci
Ereptos victor stellanti inuexit Olympo,
Sidereos tollens oculos flagrantiáque ora,
O (infit) genitor, qui decedentia certis
Tempora momentis sic emetiris, vt aptè
Eueniant sua cuique dies & tempora facto,
Vt nascens, moriénsque, & victa morte resurgens,
Ac tandem superas scandens sublimis in arces,
Omnes impleri numeros, quò notior esset
Laus tua si veterum constent sibi carmina vatum,
Conueniántque nouis prisca fulgoribus vmbræ;
Hunc quoque sancte diem, donis tam grandibus aptum,
Optatúmque diu, ne prætermitte rogatus,
Quin socios fratrésque meos, quos semper amaui,
At nuper ceu pupillos sub matre reliqui,
Tu mecum amplectens, & tædia longa repellens
Amisso tristes quæ persensere magistro,
Vt fore pollicitus sum te sponsore, benigno
Respicias vultu, tanto in discrimine rerum
Cælestem trepidis infundens mentibus ignem.
Quo freti non iam latebras & deuia quærant
Antra, nec insidiis palleant hostilibus, atque
Diffugiant molles aquila vt veniente columbæ,
Sed læti atque alacres subeant aduersa parati
Supplicio, extremámque petant per vulnera laudem.
Est votis hæc summa meis, hic terminus hæret,
Non profecturis tot nempe laboribus actis
Tu pia pacta tuo genitor nisi numine firmes.
Et facies. neque enim tua me sententia fallit.
Sic fanti applaudunt comites, genibúsque voluti
Vno eadem simul ore rogant. Fulgentia at ipse
Arma tenens Erebi quibus expugnare tyrannum
Posse datum, clauósque, trabémque, hastámq; cruentam,

Haereret capiti, quàm quod sub corde lateret
Acribus accendens feruentia viscera flammis,
Nullam ferre moram, nullamq; admittere causam,
Quin velut exempti vinclis & carcere duro
Erumpant alacres, pulsi ceu lacte leones,
Vsque nouas auidi Christo compellere prædas.
Prima tamen meritas cura est persoluere grates.
Accedunt igitur nulla formidine templum
Confertum populis, quos lex antiqua iubebat
Vndiq; tam celebri Solymos concurrere luce.
Nec iam sese humiles pressa ceruice tenebant,
Ut nuper, clausis voluentes murmura labris,
Liberi & erecti sed qua se cunque tulissent,
Non poterant alios propriis sibi sumere vultus,
Et quem conbiberant non exhalare vaporem.
Atque vt Setinis, aut collibus orta Falernis
Nobilibus diffusa cadis dulcissima musta
Dum feruent, penitusq; tument ardore recenti,
Euertunt fundo quicquid subsidit ab imo,
Exercentq; iras, &, si spiracula fumo
Defuerint, fractis erumpant turbida vasis;
Sic illi intrepidi non se tenuere, sed omnes
Intentos operi sensus neruosq; gerentes,
Conceptum interius (Tanta est vis Numinis) acrem
Spirabant oculis atque ore & naribus ignem,
Non iidem modò qui fuerant, sed mente renati,
Atque animo ingenti, cui non mortalia curæ
Sed cælum Superique, & quæ cælestia regna
Conciliant homini, vt viuens moriensq; beatus
Æternam insigni referat mercede coronam.
Atque adeò hæc turbæ dum præcinuere procaci
Non veriti se inferre vltrò, pulchrumq; fateri
Seu Christi, licet inuisum, seu nomen Iesu,
Quo sine fas homini non est sperare salutem.
Cumq; eadem variis narrarent omnia linguis,

Aut vsos propria contenderet esse locutos
Quisque sua, Parthique, Afriq́, Arabesq́, Phryges
Qui Nilum, Tigrimq́ bibunt, Phasimq́, Lycumq́,
Et Tuscum hac inter regnantem flumina Tybrim,
Atque alij qui forte aderant, stupuere tremendis
Attoniti monstris, nec contemnenda putabant.
Non pauci tamen, vt media de plebe, profani
Hunc generosum animi motum sanctumq́ furorem
Attribuere mero. dulci nam feruere musto
Iactabant tales ructent qui gutture voces.
Falsò equidem hoc illi, tamen vt gratissimus esset
Error, & argutas penetraret suauiter aures.
Nam mustum illud erat non quo percussa fatigat
Tempora, & eneruat vires Semeleius Euan,
Ebria rarò iniens nullo conuiuia luctu,
Semper & in rixas, vetitos aut pronus amores,
Sed quo cælicolæ casti plenissima ducunt
Gaudia, & ambrosiis permisto nectare mensis
Illius aspectu saturi qui est omnia solus
Æternum securi agitant feliciter æuum.
Hunc ergo errorem sancta dux ipse cohortis
Discutiens Petrus, quo non ardentior alter
Hosti inferre pedem, mediumq́ irrumpere in agmen,
Non ista ebrietas, qualem malè fingitis, (inquit)
Seu ciues, alij seu conuenistis ad vrbem.
Quippe diem nos hunc, quarta vix parte peracta,
Hactenus integrum sicci transmisimus, & iam
Non cyathi, sed erant potiora negotia curæ.
En igitur lucem seris voluentibus annis
Quam vates monuere sacri sub tempora rerum
Vltima venturam mundo, qua plurimus alto
Spiritus effusus cælo, & mortalia latè
Corda nouus vrens flammis, viresq́ ministrans,
Fatidico impleret iuuenesq́ senesq́ furore
Sexu etiam infragili, seu visa, & somnia narrent,

Siue

Siue alia quacunque probent ratione modóq;
Intus agente Deo mentes atque ora moueri,
Ac non sponte sua. Quin & maiora sequentur.
Igneus hic ille est descendens riuus ab ipso
Ore Dei, lætum fundens mortalibus imbrem,
Imbrem euerrendis animi squaloribus aptum,
Vt viridi crescant virtutum germina culmo,
Grandiaq; immensas stupeant ipsa horrea messes.
Igneus hic itidem carbo, seu calculus ille,
Polluta Esaiæ purgans qui crimine labra
Protinus arcanis vatem maioribus aptet.
Denique & illapsus positis altaribus olim
Deserto in medio, turbis mirantibus, ignis
Mactata absumens cælesti animalia flamma,
Quem iussi assiduis intra penetralia curis
Nutrire, vt longo seruatus viueret æuo,
Pontifices, non tam ignis erat, quam Spiritus iste
Qui nostra inflammat modò pectora. Néue putetis
Nos aut verba dare, aut ficto procedere vultu,
Nil nostrum hic agitur, magnis auctoribus omnes
Nitimur, imbellis licet imbecillaq; turba.
Ipse Deus Deus ipse mouet, verumq; fateri
Cogit, &, vt seclis iam declinantibus orbis
Interitum possint non formidare nepotes,
Sollicitos vestræ mandat nos præire saluti.
O domus Abrami veteris, notissima cælo
Nomina, quos tanto Deus est dignatus honore,
Vt post tot vates, regésq;, ducésq;, verendos
Imperio, & monitis, simul & præstantibus ausis,
Dilectum sibi præcipuo (vidistis) amore
(Cuius signa dedit cum tot miracula tanto
Edidit applausu) vobis donarit Iesum,
Quem Nazarenum cognomine dicitis; (eheu
Quid dicam, taceámne? O dedecus! ô scelus ingens!)
Hunc ipsum, quo nil maius videre parentes,

Optarunt.

Optarunt tamen, at frustra, vos denique visum,
Auditumq́; diu, & penitus sine crimine notum,
Vestris permissum arbitriis, sub iudice duro
Afflictum prius, & crudelia vulnera passum,
Tandem occidistis miseri. Quid profuit autem
Occidisse? Deus probrosa vincula mortis
Soluit, & inferni reducem de carceris antro,
Ac penitus nulla pollutum labe sepulcri,
Vt fore Iessaeus monuit per carmina vates,
Restituit vitae. Quod nos vt vidimus omnes,
Quos coram aspicitis, vestro de sanguine cretos,
Sic sanctè testamur. Et en qui spondeat iste
Iste ardens qui corda premit, qui viscera torret
Spiritus, & quanquam infantes facit esse disertos.
Vos sapite, & rebus fratres attendite vestris.
Talia diuino Petrum sic ore tonantem,
Atque vnà astantes socios capita alta ferentes
Vt videre palam, multi, quos altius acri
Fulmina contigerant tactu, pulchroq́; rubore,
Voluentes animo spectata ingentia Christi
Facta, quibus moti voluere obtrudere regnum,
Impositturi humeris loca ni deserta petisset,
Contremuere metu. Sequitur dolor, & fuga morbi,
Si quo forte modo possint praeuertere ne mors
Occupet, & meritas soluant pro crimine poenas.
Consiliumq́; rogant, vt qui monuere periclum
Ostendant pariter quae sit fuga tuta pericli,
Cum breuiter senior vitae iubet antè peractae
Poeniteat, veniamq́; petant, lustralibus inde
Purgati scelerum lymphis dent nomen Iesu,
Concesso terris regi dominoq́; potenti.
Cui si crediderint, aurae caelestis & ipsi
Dona ferant, non nota sibi. quippe ordine primum
Promissa Isacidis, dein quos Deus ipse vocasset.
His illi atque aliis firmati pectora dictis,

Iamq́;

Iamq́ auidi prauum fugere, atque insistere recto,
Non pauci numero, sed ter se mille beato
Tincti vndis iunxere gregi, pluresq́ secutæ
Felices animæ, sacri primordia regni,
Bissenûm captura virûm, felicior illis
Quas fecere prius, cum cymba & retibus vsi
Traxerunt tremulos Galilæa ad litora pisces.
Nec mora, mutatis studiis, tua Petre secuti
Exempla & monitus, nunc sanctum ascendere templum
Intenti precibus, nunc circum tecta domorum
Solliciti inter se sacrum diffringere panem,
Vnanimes, veriti nil præter Numinis iram,
Cetera securi, (O prudentissima mentis
Simplicitas!) faciles, nullaq́ in parte molesti,
Degebant hilarem sine fraude & crimine vitam.
Nec cura illis census erat, tabulæque, grauisq́
Nunc quæstor, nunc scriba procax, acerq́ coactor,
Cum sua quisque lubens aut in commune referret,
Mancipio aut domini, parerent omnibus vsu,
Fraternis animis. nam Christum propter eodem
Quo Christum sese complectebantur amore.
Nec poterant aliter, tam pleni Numinis aura,
Vt nil humanæ labis subsideret vsquam,
In se cuncta domans quod non conuerterit ignis.
Nam veluti mediis feruent vbi ahena caminis
Ebullit trepida & flammis attollitur vnda,
Quamlibet illa grauis, siccoq́ aduersa calori;
Sic cedunt vitia & quicquid virtutibus obstat
Aduentante Deo, quem nil nisi læta sequuntur,
Spes, amor, atque fides, & mens sibi conscia recti.
Et quanquam totis deinceps quæ gesta diebus
Omnia prodigiis fieta essent, omnia monstris,
Hoc tamen eximiè populum stupefecit hiantem,
Quod vespertinam facturi vota sub horam
Iunctus Iohanni Petrus, decora alta subitus,

Cum templum peterent, aurata ad limina porta
Mendicum atque inopem, vitaq; ab origine claudum,
Claudum vtroque pede, vt neutro consistere posset,
Ignotum nulli, (Multis ibi sederat annis,
Collecta stipe quò ventrem fulciret inanem)
Conspexere virum. nam compellabat & ipsos.
At senior fixis oculis, vultuq; verendo,
Auri atque argenti non est mihi copia. Quod dem
Non deerit tamen. Ergo ingens en accipe donum.
Apprensaq; manu, Per Christi nomen Iesu
Surge, ait. Ille pedum subitò compagibus aptis
Subsiluit gaudens, &, ne quem facta laterent,
Se comitem ambobus iunxit quacunque mouebant.
Atque ita cum cupidè procurreret agmine facto
Portentum visura nouum densissima turba,
Vidit, & obstupuit, vultuq; immobilis hæsit.
Restitit ergo iterum Petrus, & liberrima fundens
Verba palam, vt decuit dicentem vera, sine vlla
Ambage & latebris, queîs mos inuoluere falsa,
Non opis est nostra quod cernitis (inquit) amici
Hoc facinus præclarum, ingens. siquidem omnia solus
Humanis maiora facit Deus. Illius ergò
Adsumus, & domini præfando nomen Iesu
Hunc pedibus captum vinclis eximimus. At vos
Auctorem tantorum operum, vitaq; magistrum,
Et sanctum, & iustum, & mundi rectore creatum
Supplicio infando ab vita spoliastis, & ipso
Iudice detestante nefas tam immane; latronem
Seruastis Baraban, haud vno nomine læsæ
Iustitiæ pacisq; reum. Rediuiuus at ipse
A tumulo superas abiit regnator in arces,
Donec ob æterno rursum demissus Olympo
Collapsum instauret iudex æquissimus orbem.
Nos testes sumus. Ac ne sit dubitabile verum,
En qui confirmet. neque enim sine Numine coram

Astat,

Astat, & integris figit vestigia talis.
Ille quidem multa antè pati, montemq́ subire
Debuerat monitis vatum, quò nostra piaret
Crimina, pœniteat tamen, atque agnoscite culpam,
Erroris veniam dabit, & miserebitur vltrò,
Abrami soboles, vestrisq́ è fratribus vnus.'
Cui Moses assertor adest, Mosisq́ minores,
Cui Deus ipse iubet tanquam sibi credere toto
Addictos animo. Nec, si quis negligat, absit
Supplicium, & populi pars desinat esse beati.
Hac ille. At nondum quamuis sermone peracto
Præpositi templo, iunctis qui functa negabant
Corpora post cineres alia reuirescere vita,
Acribus inuidiæ stimulis, iraq́ frementes
Iniecere manus, & sub custode retentos
Postridie in magno sisti iussere Senatu
Pontificum, vt facti luerent delicta tumultus.
Haud leuior prima interea captura secundo
Adiicitur iactu, persuasi millia quinque
Accessere hominum numero, tanto antè minori.
Nec capti timuere Patrum subsellia, quamuis
Cum socero Caïphas, & plures ordine adessent,
Qui præiudicio, vt condemnauere magistrum,
Discipulos etiam debebant tradere leto.
Tum cœtu in medio rationem reddere iussis
Criminis admissi, senior, præfatus honorem,
Visceribus totis calestem vt senserat auram,
Inualidum hunc (aderat nam forte, & cominus ibat)
Si quonam pacto nuper sanauimus (inquit)
Quæritis, en virtus, en Christi nomen Iesu,
Quem cruce suspensum Deus ipsa à morte reduxit,
Huius causa boni est. Lapis en non vtilis arti
Creditus, abiectusq́, idem compage suprema
Parietibus fulcimen & hinc & conuenit illinc.
Inde & nostra salus, nec nomen Sole sub omni

Est aliud quod nos faciat seruetq́ beatos.
Hæc simul accepere, ausi nil hiscere contrà,
(Tantum animusq́ valet constans, verumque, fidesq́)
Inuiti quanquam, & non æqua mente, solutos
Ire iubent, sectaq́ monent & nomine Iesu
Abstineant deinceps. Ast illi (O nescia vinci
Pectora!) sic referunt, Vos auscultare, Deumq́
Spernere, quando oculis circumspicit omnia iustis,
Quærite num deceat, visa atque audita tacere
Haud nostrum est. Tum verba malum minitantia ducunt
Pro nihilo, & cupidi sociis exacta referre,
Lætantes abeunt, referuntq́, & pectore ab imo
Vno omnes simul ore canunt hunc suauiter hymnum.
O domine, ô cæli, terræq́, marisq́ profundi
Arbiter, ô quicquid genitum est vbicunque gubernans,
Iessiades cuius sic vaticinatus ab ore est;
Quid gentes studio populosq́ exciuit inani
Nequicquam fremere, atque omnes contendere vires?
Quid reges proceresq́ animo perstare minaci,
Ac tanto in dominum Christumq́ efferuere motu?
En vt in hanc vrbem trepido coiere tumultu
Hinc rex Herodes, hinc Præses Pontius iste
Pilatus, pluresq́ alij, nec segnius illis
Isacidæ, cupidi nomen disperdere nati
Dulce tui. At quorsum? Tua nempe vt sancta voluntas
Consiliumq́ tuum his ipsis immanibus ausis
Firmetur. Trepident illi frustraq́ laborent.
Tu nos aspiciens, & quæ minitantur in ipsos
Auertens, nobis liberrima suffice verba,
Da vires animosq́, nouis vt territus orbis
Prodigiis tua signa volens natiq́ sequatur.
Finierant. Tremuit tellus, & conscius æther,
Impleuitq́ viros diuini flamma caloris
Securos sortisque suæ, votisq́ potitos.
Ergo operi inuigilant, iuuat indulgere labori

Quem successus alit, quem præmia tanta sequantur,
In primis placuisse Deo, quæ maxima laus est.
Et quoniam sanctis nil tam conatibus illis
Profuit indignum quam ducere si quis abundans
Rebus in alterius non succurrisset egenis,
Nil non deesse aliis patiens, sibi commodus uni,
Omnibus hoc studium, hic labor, vt quæ priua fuissent
Publica dein fierent, spreto, ni splendeat vsu,
Argento atque auro. Cuius sitis improbá sæuis
Causá malis, scindens humanæ fœdera vitæ.
Nec veriti leges pœnasq́, aut iudicis iram,
Sponte sua fugere nefas, fundosq́, domosq́,
Distraxere hilares, ac nummos inde redactos
Ante Petri abiecere pedes sanctiq́ Senatus
Non aliter quàm putre solum, testámue, lutúmue.
O virtus cunctis optanda, sed agnita paucis
Qua nulla ad Superos propior via! Deperit aurum
Cum seruas, manet absumptum. Custodia census
Optima consortes quem diuidis inter amicos.
O bone te fures, aut cur incendia terrent?
Est vbi non fures, vbi non incendia cures.
Cælo infer pia dona, Dei gremioq́ repone,
Eripiet nemo. Nec te interualla morentur,
Tangere quòd nequeant Superos quas terra recondit,
Et malè seruat opes. Sunt hic æraria cæli,
Sunt arcæ & loculi. quod enim largiris egenti
Seu cum dura fames, seu cum sitis arida fauces
Obsidet, aut nudum penetrabile frigus adurit,
Vel lecto affligit morbus, vel carcere sæuus
Creditor, aut aliis fortuna casus iniquæ,
Hoc Superis crede esse datum: Fit debitor ipse
Ipse Deus. Quin & grandi si fœnore gaudes,
Danti vnum spondet centum qui possidet vnus
Omnia, nec fraudare potis nec fallere quenquam.
Tam præstans igitur virtus quò gratior esset

Omnibus, ac fœdum magis horrendumq́; quod illi
Aduersum est vitium, placuit punire nefandæ
Crimen auaritiæ Ananias cum coniuge quo se
Induerat Sapphira, ignari haud posse latere
Quæ tegimus peccata Deum. Communis agelli
Quem modò vendiderant pretium non omne ferebant
In medium, vt fecere alij, sed parte retenta
Cum mentirentur solidum se reddere, Petro
Vlciscente nefas, coram tot testibus ambos
Iudicio insueto (neque enim sufflamine longo
Causa trahebatur) commixta cupidine cæca
Sustulit ambitio. Mendaces dixerat ille
Antè virum, deinde vxorem; qua voce repente
Extincti incubuere solo. Sententia facti
Pœna fuit. neque enim iudex lictoris egebat,
Damnatam vel voce potens abrumpere vitam.
Vsqueadeo nihil est quod non indulserit illi
Omnipotens quem ritè suo præfecit ouili.
Quos ergo vt crimen, sic mors coniunxerat vno
Compositos tumulo postquam vulgauerat ingens
Fama, simul trepidiq́; omnes lætiq́; coibant,
Vt Petrum aspicerent. Qui quanquam plurima summo
Prodigia edebat plausu, parente iubentis
Naturæ imperio, cum nil decerperet inde
Ipse sibi, ast vni domino deferret honorem,
Sic placuit magis, & sese quocunque moueret
Diuinum latè populis afflauit amorem,
Contemptorq́; sui (Tanta est vis Numinis) alto
Æquatus cælo nitidis caput intulit astris.
Nec tantum Solymis ea se iam fama tenebat,
Sed pagis etiam viciniśq́; vrbibus acri
Excitum studio ruit ad spectacula vulgus.
Nec cupidi poterant oculos satiare videndo
Bissenos proceres, templi de more manentes
Porticibus, facilè vt quiuis accedere posset,

Scita-

Scitariq́; viam ſupera ad conuexa ferentem.
Sed quanquam plebi eximiè placuere ſequaci,
Non illos auſus propius contingere quiſquam,
Relligione ſacros, & maieſtate verendos,
Triſti etiam Ananiæ caſu terrente profanos.
Accreuit numerus tamen, & dilecta bonorum
Copia. Luſtrali paſſim quos fonte renatos
Mox alios mores, alios aſſumere vultus
Edocuit pietas, & cælo fecit amicos
Inconcuſſa fides. Cuius vi quotquot vbique
Obuia erant variis affecta, aut ſaucia morbis
Corpora, quæ ſellis, atque impoſuere grabatis
Mærentes ſocij, fieri modò poſſe putarent
Quod factum optabant, Chriſti per nōmen Ieſu
Factum erat. Hic ſurdi, mutiq́;, & lumine capti,
Hic claudi exiluere ſolo, peſteſq́;, lueſq́;,
Et furor, & macies, & anheli pectoris æſtus
Diffugere loco quâ ſe dux cunque ferebat,
Cuius ab effuſa ſacrati corporis vmbra
(O magno res digna Deo!) mirantibus ægris
Influxit ſperata ſalus. Quæ gloria quanto
Splendidior, tanto magis, execrabile virus,
Inuidia accreuit. Prenſos duxere miniſtri,
Additaq́; eſt vinctis cuſtodia publicā, ne quâ
Effugerent. Sed cæleſti de chorte ſatelles
Aſtitit, & media dimiſſos nocte recluſo
Carcere commonuit ſacro ſe reddere templo,
Atque illic vitæ præcepta docere beatæ.
Interea coëunt hoſtes, furit impia turba
Pontificum punire reos. Quos ducere iuſſi
Cum clauſis foribus tamen euaſiſſe referrent;
Securos narrant alij conſueta ſubire
Munera, mulcentes populi ſermonibus aures.
Terruit ancipites hic nuncius, haud tamen ira
Concidit. Accurrunt templo, narrata fatentur.

At plebem veriti, manibus saxisq́; minacem,
Non vincla iniiciunt, blandis sed vocibus vsi
Hortantur sancti consulta audire Senatus
Ne pigeat. Parent vltrò summumq́; sequuntur
Pontificem. Solio qui cum sedisset in alto
Turbatus sæuo ore rogat cur publica turbent
Otia, & insanis scindant erroribus vrbem,
Affirmentq́; suum post funera viuere regem
Inuidia Patrum ingenti, qui nempe necassent
Immeritum. Ast illi, quoties contraria mandent,
Non hominum, sed iussa Dei dixere sequenda.
Nec tamen hac iuuit ratio, & plura ordine dicta,
Quominus iniusto caderent sub iudice, si non
Eloquio præstans, & rerum exercitus vsu
Gamaliel placidis lenisset pectora verbis,
Dum docet exemplis melius non tangere qui se
Mox ipsi perdant, nequicquam humana secuti
Consilia, instinctu contrà quod Numinis ausis
Mansurumq́; diu, nec posse impune moueri.
Atque equidem hac poterat sententia soluere litem,
Obstitit ambitio. Ne nil egisse putentur,
Admonitos primum dictis, atque inde flagellis
Ire iubent. Abeunt læti, quòd sanguine fuso
Sortiti fuerint talem grex omnis honorem.
Nec templo tantum, sed per vicosq́; domosq́;
Vulgarunt alacres hilari mysteria vultu.
At tam fausta sacri post hæc primordia regni
(Vt fieri magno in numero persæpe videmus)
Propter inæquales mensas victumq́; coorta
Est inter fratres (quæ tunc se voce ferebant
Christiadæ iuncti) discordia, pristina verum
Gratia mox coiit, suppressa in fomite flamma.
Seruato (vt decuit) proceres sibi iure docendi,
Explendiq́; animos dapibus cælestibus aptos,
Alterius curam mensæ, quæ corpora pascat,

Vt sese indignam, quanquam laudabilis esset,
Committi suadent alijs, qui classe secunda,
Haud plures septem numero, gnariq́, boniq́,
Hoc agerent. Placuit populo sententia Patrum.
Nec mora, delecti totidem. Queîs supplice gestu
Imposuere manus, atque hi dixere ministros,
Leuitas alij. Sed sicut in ordine princeps,
Sic praestans etiam virtute, & Numine plenus,
Prodigiisq́ potens, Stephanus superare nec ipse
Inuidiam potuit. Longum est exacta referre.
Occubuit tandem, prima, & gratissima caelo
Victima, cui stantem à dextra super aethera natum
Mortales oculos tanto dignatus honore
Ostendit genitor, contempta vt praemia vitae
Cerneret antè grauis lapidum quam clauderet imber
Ora viri, exemplo pendentis in arbore Christi
Hostibus (ô pietas!) veniam pacemq́ precantis.
Atque vtinam vnius cessassent impia morte
Supplicia. Hostilem rabiem successus alebat,
Nec poterant non ferre boni quae ferre iubebat
Praeceptum caelestis heri. Dispersa piorum,
Bissenis tantum Patribus seruantibus vrbem,
Agmina. Quos alij, quos ceu lupus acer agebat
Saulus, ab excidio Stephani crudelior vsque &
Vsque, nec aetati parcens, nec denique sexu,
Quin rueret traheretq́ ferox & perderet omnes
In quos inciderat. De quo maiora canemus,
Nunc aliò vocor. Illa igitur quo tempore nata
Saeuitia est creuere & honos & gloria, nullis
Fracta malis, firmoq́ haerens constantia gressu.
Disiecti namque exilio, quocunque locorum
Venissent iisdem pugnantes cominus armis,
Quae pietasq́ fidesq́, & vis suggessit amoris,
Morborum pariter scelerumq́ examina forti
Pellebant animo. Nam quis te magne Philippe

Samaria in magna, (quam pòst dixere Sebasten)
Perq; Palestina, & Galilææ diuitis vrbes
Auspicio Domini pulcherrima bella gerentem
Pro meritis celebret? Per te iuga ferre coactus
Accinctus Furiis ille Infernalibus ille
Est Simon, magicis toto notissimus orbe
Artibus, & quamuis aliquis sit visus & ipse
Esse Deus, Stygias qui tot portenta per vmbras
Ediderat, cessit tamen, & lustralibus vndis
Tinctus longè alias disci diuinitus artes
Agnouit. Felix, cœptum sine fraude doloq;
Si tenuisset iter. Quid apricos inde per agros
Exceptum Eunuchum, virtute opibusq; potentem,
Edoctum primò mysteria, fonte renatum
Deinde sacro, & tacta Æthiopum per te alta salutis
Fundamenta canam? Reuocas me Petre, beati
Dux gregis. Incœpti qui tam felicia regni
Incrementa videns, an (qui tuus ardor) abesse
His poteras tantum nosses quos ferre laborem?
Præfecto Solymis Iacobo, agnomine Iusto,
Quo te cunque loco peterent, ceu tutor adisti
Pupillos, natósue parens, tractusq; per omnes
Terrarum, quâ dispersi noua signa tulissent
Victoris Christi, huc etiam solatia vultus
Accessere tui. Comites Fiducia firmo
Nixa pede, & tranquilla Quies, immotaq; Virtus.
Quas hilari circum plaudunt miracula gestu
Extimulantq; animos, & densa indagine cinctos
Ceu pauidos adigunt aduersa in retia ceruos.
Tu dum Iudaicas visis pater optime gentes
Quâ Saurona iacet, quâ latum prospicit æquor
Prisca Tyrus, Sidonq; potens, grauidamq; metallis
Quâ breuis à terra Cyprum discriminat æstus,
Tu Lyddæ Æneam neruis per membra solutis
Affixum stratis annos bis quattuor vno

Restituis verbo, iussum consurgere, & arcti
In quo decubuit componere stragula lecti.
Sparserat hoc factum vicinas fama per vrbes,
Iamq́ aderant celsæ egressi qui mœnia Ioppes
Oratum venere tuis optatus adesses
Discipulis, functa dolituris morte Tabithæ
Dorcadis, hanc nisi tu serues, reddasq́ propinquis.
Ut properes vrget pietas, & vota tuorum.
I bone. Sed nigris illam circumuolat alis
Horrida mors, moritur, clausisq́ lauatur ocellis.
Ecce venis. Crescit luctus, positamq́ feretro
Stant mæstæ circum viduæ, innuptæq́ puellæ,
Perfusæ lacrymis omnes. Nec tollere vocem
Permittit pudor, ostentant tunicasq́ recentes,
Pallasq́, & vestes alias, pia dona benignæ
Dorcadis, ipsa suo quas ære, manuq́ pararat,
Defensura inopes infesto à frigore amicos.
Nec verbis lassare opus, aut clamoribus aures.
Pro precibus lacryma, pro verbis facta fuere,
Notaq́ in afflictos pietas, cæloq́ repostum
Quo defuncta manus inopum repleuerat aurum.
Ingemis ipse, fremens animo, cœtuq́ remoto,
Inflexis supplex genibus, fixoq́ cadauer
Aspiciens vultu, (mirum) duo verba, Tabitha
Surge, inquis, leuat illa oculos, residetq́ superstes
Ipsa sibi. Prensa quam tu sanctissime dextra
Sistis, & admissis tradens gratatis amicis.
Hactenus Isacidas inter, ritusq́ colentes
Isacidûm, & magni diuina volumina Mosis,
Exoriens Christi regnum immortale manebat.
Sed maior fetura gregem vt suppleret, & olim
Quem vates cecinere lapis coniungeret ingens
Hinc atque hinc vtrumque latus surgentis in altum
Regiæ, & æterno sese exæquantis Olympo,
Hæc apta est via visa Deo. Quo tempore Ioppen,

Et vicina Petrus coluit loca, miles agebat
Cæsareæ (Pyrgon veteres turrimq́ vocabant
Stratonis) cui Roma domus. Cornelia gentis
Nomen erat. Magnos hic inter Centuriones
Italicæ ductor chortis, vir magnus in armis,
Nec pietate minor, metuens offendere Numen,
Seq́ suosq́ arcens vitiis, & egentibus vltrò
Dans quas diues habebat opes, noctesq́ diesq́
Intentus precibus, nonam iam circiter horam
Ieiunus videt astantem e cælestibus vnum,
Conspicuum forma iuuenem, qui nunciet eius
Acceptas cælo voces & verba precantis,
Donaq́ quæ miseris dabat opportunus amicis;
Simonem accersat, Petrum cognomine, Ioppa,
Dicturum quid opus facto. Mittuntur honesti.
Iamq́ propinquabant, media prope parte diei
Præterita tabulata domus cum scanderet ille,
Secretum poscens precibus. Mox esurit, atque
Apponi iubet. Interea cælestia toto
Commentans animo, raptusq́ ad sidera, cernit
Oris de cælo demitti quattuor alto
Vas immensum, ingens, quod strata ad lintea opimis
Implebat mensam dapibus volucrum, atque ferarum,
Reptiliumq́ simul. Tum vox audita per auras,
Surge Petre, & mactans hæc vescere. At ipse negabat.
Id sibi Iudæo, immunda & promiscua nunquam
Gustanti, fas esse. Iterum sed perculit aures
Vox eadem, ter idem increpitans, ne fallere posset,
Quod purgat Deus immundum tu dicere noli.
Mox vero ablatæ dum secum ænigmata mensæ
Cogitat, oblitus quas antè poposcerat escas,
Præ foribus stabant à Centurione ministri.
Quos adiit monitus cælo, & sese obtulit vltrò,
Acceptaq́ viæ causa diuertere apud se
Iussit, & assumptis, ne res sine testibus esset,

Bis ternis secum sociis hilari pede faustum
Postridie est ingressus iter. Venit obuius ille,
Procumbensq́; solo sanctum ceu Numen adorat.
Sed renuit Petrus, atque hominem sese ore professus,
Ipsi haud dissimilem, diuinos spernit honores,
Hospitiumq́; subit. Plures acciuerat hospes.
Quos simul aspexit, Non est fas (inquit) amici
Iudaeum genti se commiscere profanae,
At mihi iam fas esse Deus Deus ipse probauit.
Cur igitur poscor? Tunc rem Cornelius omnem
Explicat, & contrà quae sit diuina voluntas
Supplice voce rogat. Mox ille, Agnoscimus (infit)
Te genitor, laudesq́; tuas. Mihi, & omnibus idem
Es Deus, es Dominus, nullumq́; ab ouilibus arces
Qui subdat tibi se, & subdens tua iussa capessat.
Scilicet hoc mihi visa canunt. Dein fronte serena
Versus ad astantes, solitoq́; ardore redempti
Seruatorem orbis tollens super aethera Iesum,
Dum loquitur, firmans animos, purgansq́; veneni
(Si quid erat) videt afflari caelestibus auris,
Et noua diuersis fari mysteria linguis,
Quorum causa aderat. Comites noua crescere sacra
Laetantur. Petit ipse vndas, tingantur vt vndis
Quos tinctos liquido agnouit diuinitus igne.
Haud potuit tanti notissima gloria facti
Non aliquos fulgore oculos praestringere, & acri
Inuidiae praebere locum. Addictissima sacris
Gens Hebraea suis, omnesq́; exosa profanos,
Vnum vt sola Deum coluit, sic credidit vni
Deberi sibi quam promiserat ille salutem,
Nec sua contemni passa est praeputia. Motum
Composuit tamen hunc sacri pater agminis, vltrò
Accurrens Solymam, & Tyrios quae gesta per agros
In pleno referens fuerant vt gesta Senatu.
At quia non Solymae tantum, sed vbique per omnes

Principium turbis dabat hæc tum causa proseuchæ,
Omnibus ille locis aderat, vigilesq; mouebat
Huc illuc oculos, quoquò se verteret hostis.
O magnum virtute virum, quem frangere nulla
Vis aduersa queat, nulli lassare labores!
Quos hilari subiens animo dum sæpe recurrit,
Vsque noui secum referens compendia lucri,
Herodes Agrippa nouo sublimis honore,
(Iussus enim in patrui succedere regna tetrarchæ)
Vt viuens, sic & moriens memorabile fortis
Exemplum humanæ, quò se iactaret atroci
Pontificum turbæ, bissex e Patribus vnum,
Primitias gregis ah, Zebedæo patre creatum,
Eductum vinclis Iacobum perculit ense.
Nec satis, vt maior sceleri sit gratia, duci
Imperat & Petrum. Simili quem perdere leto
Solennes vetuere dies. Custodia pernox
Additur, & duplices per crura, manusq; catenæ.
Heu qui tum luctus, gemitusque, & vota piorum!
Quid facerent? Cælum assiduo clamore fatigant.
Nec frustrà, precibus Diuûm pater annuit æquis
Omnipotens. Suprema viro nox venerat, ipse
Securus media quamuis in morte quiescens,
Fit vigil. Assistit lateri demissus ab alto
Armiger, & totum diffusa luce per antrum
Surgere, vestiriq; iubet, vinclisq; solutum,
Quacunque ingreditur portarum claustra refigens,
Sistit eum notas citus vnde accurreret ædes
Liber, & inuentos ibi solaretur amicos.
Profuit hæc aliis violenti iniuria regis
Gentibus, vt tenera dociles ceruice beatum
Christi ferre iugum possent, cælumque mereri.
Tali etenim veriti submittere colla tyranno,
Perq; nouos auidi pomœria tendere fines,
Sortiti variis sectum regionibus orbem

Inter se proceres, sua quisque ad munera lati
Diuersis abiere viis, sed fœdera pacti
Permansura diu. Quæ ne quis fallere posset,
Addita sacrati quædam ceu tessera belli,
Symbolaque, à populis nos distinctura profanis.
Atque iterum solita hic patuit constantia. nam qui
Antiochi in magna Syriæ prædiuitis vrbe
Cælestis sedem imperij dux ipse locarat,
Nobilius molitur opus, tua Romule regna
Conturbare parans, Capitoli euertere saxum,
Et saxo maiore nouum superaddere regnum,
Regnum æternum, ingens, famam quod terminet astris.
Discedens igitur patria valedicit amicis,
Et quascunque alias se deinde ferebat ad vrbes,
Solatus socios, tum quæ præcepta dedisset
Vt memori voluant animo feruentque precatus,
Nauigat. Aspirant Superi felicibus auris,
Atque ipsum, sociosq; simul tutantur euntes.
Inde per Ægeos scopulos, Tyrrhenaq; vectum
Æquora, (Nunc etiam remanent vestigia) primùm
Parthenope accepit venientem, hinc Martia Roma
Amplexa est tenuisque diu, quàm fœta triumphis,
Tam vitiis morbisq; tumens, quos diuite luxu
Mixta superstitio & magici peperere pauores.
Has ille edomuit pestes, Lemurumque cateruas,
Quasque a Samaria Simon adduxerat Vmbras,
Et coniux Helenæ, & præstantior arte Menander.
Quorum vbi vicisset fraudes, cathedramque locasset,
Pontificis summi cathedram, vt ius diceret orbi;
Iamque nouum Christi nomen non Itala tantum
Audisset latè tellus, sed & asper Iberus,
Germanusque ferox, Gallique, & trans freta ponti
Africa; (nam socios partes diuisit in omnes)
Septima Romuleas ex quo peruenit in arces
Messis erat, nonum regnans cum Claudius annum

Iudaeos simul & Christi pia sacra colentes
Vrbe atque Italia tristi decedere iussit
Exilio immeritos. Quos tu quoque Petre secutus,
Vt partem gregis, Eoum petis impiger orbem,
Hic patriam antiquam, ac veteres visurus amicos,
Antiochi sedem, septemplicis ostia Nili,
Marcus Alexandri sanctis vbi legibus vrbem
Fundauit tuus, & Phariis Christum intulit oris.
Quid Pontum, quid Cappadocas, ditesq́; Bithynos,
Atque alios referam populos, tua maxima regna?
Magnus vbique labor, sed subleuat ille laborem
Quo mandante subis. Propera, & res fortiter aude.
Post certas hiemes repetet te regia Roma,
Sed comitem dabit. Hac vna expugnandus in vrbe
Orbis erit, saeua quem tu cruce, Paulus at ense
Deuictum eximio ducetis ad astra triumpho.

AD



AD ERNESTVM BAVARVM, SACRI ROM. IMPERII ELECTOREM Colonienſem, Epiſcopum, & Principem Leodienſem.

DEſcripſi Chriſtum,deſcripſi carmine Paulum,
Exiguis impar viribus orſus opus.
Hinc aſſertorem quærenti occurrit vt olim
Gerardus, Tungros ſub ditione regens,
Qui Chriſtum exciperet blando placidiſſimus ore,
Meque ſua tegeret non leuis auctor ope,
Sic tu nunc Paulum Princeps Erneſte, tot vrbes,
Tot præter Tungros regna ſacrata tenens,
Suſcipe. Patrono mox ſe præſtabit & ipſe
Patronum, larga dans bona multa manu.
Queîs te viuentem ſeruetque,ornetque,beetque,
Et functum campos transferat Elyſios.
Horum ego nil poſſum, ſed quæ tibi poſſe videbor
Impera. Erunt meritis inferiora tuis.
Nec tamen idcirco tenuem aſpernare poëtam.
Quem cecini, pro me ſpondeat ille tibi.

LÆVINI

LÆVINI TORRENTII
RERUM A DIVO PAULO GESTARUM
LIBER I.



ACTENUS aeterni Patris de Virgine natum,
Concessum terris, & post fata aspera, victa
Scandentem patrias arces, (unde inclita dona
Christiadûm, & sacri Petro duce gaudia regni)
Nunc te Paule pater, nunc te generose canemus
Tarsida, laudesq́; tuas super astra feremus.
Haud equidem tantis quòd par conatibus ausim
Æthereos penetrare sinus, atque aurea cæli
Atria, nativis circumfulgentia gemmis.
Non ea vis animi. Sed tu pater optime, (quandò
Hoc uni tibi posse datum est dum vita manebat)
Nunc quoque præcipuo Superis spectatus honore,
Devicti gestans spolium fortissimus orbis,
Hanc mihi confer opem. Non me mea fallit egestas.
Tu mihi divitiæ, tua per vestigia cautus
Ingrediar, nec transuorsum malus auferet error.
Et iam tollor humo, miseris mens libera curis
Evolat unde illi vigor, atque insignis origo.
Hic avidè aspectans quæ sint decreta beatis
Præmia, quæ merces atque emolumenta laborum,
Multiplices nexæ vario de flore corollæ,
Gaudiaq́;, & plausus, festisq́; immixta choreis
Carmina, (quæ nulli fas est audire profano)
Quæro etiam contrà quæ sit fortuna reorum,
Quæ, quorum scelerum pœna & tormenta sequantur.
Namque etsi procul inde dolor luctusq́; refugit,
Nil tamen ignorant Superi, sed ab æthere summo,
Sint quibus exempti ut norint curisq́; malisq́;,
Quidquid ubique grave & miserum est vaga sidera subter

Prospe-

Prospectant, mersos etiam sub Tartara Manes.
Sed tamen & fora sunt, est & sublime tribunal,
Magnifico cultu, stratumq́ue tapetibus aureis.
Aurea collucent illic subsellia, & auro
Substructæ solido surgunt adamante columnæ.
Quas intra denso coëunt simul agmine ciues,
Intentisq́ue oculis, arrectisq́ue auribus astant.
Apparent etiam succincti ad iussa ministri
Alipedes, soliti terras lustrare iacentes,
Et responsa ferunt. Superest sententia tantum.
At Pater omnipotens per se licet omnia norit,
Æternum æterno Natum complexus Amore,
(Vnus enim est, triplici sed maiestate verendus)
Fulgentem gemmis gestans in fronte tiaram,
Puniceamq́ue sacro demittens pectore pallam,
Effultus solio, sceptroq́ue innixus eburno,
Auscultat patiens; finsq́ue ipse & regula recti,
Iustitiæq́ue tenax, sic illam temperat æquus,
Vt neque inulta ferant vlli commissa nocentes,
Et tamen agnoscant non tarde ignoscere Numen,
Si veniæ locus, & quanto grauiora fuere
Crimina, virtuti tanto feruentius instent
Conuersi in melius, nec quidquam turpiter ausint
Quin subeat pudor, & vitæ peccata prioris
Admoneant satis esse semel potuisse teneri,
Ac miserum tantis caput obiectasse periclis.
Hæc ibi iudicij ratio est, ipsissima veri
Forma, Deus Deus ipse, in quo sunt omnia. Sed cum
Luctandum in terris, vbi nil immobile, nil est
Non fluxum, non tabificum, nos, puluis & vmbra,
Vt si quis speculo se contempletur inani,
Ducimur exemplis. Nec in his illustrius vllum,
Seu curas hominum spectes, siue otia Diuûm,
Quam Paulus dum Saulus erat, tum totus in illo,
Insontes variis misere vt disperderet atrox

Suppli-

Supplicijs, alio celans sed nomine culpam,
Pontificum magni quòd se decreta Senatus
Christiadis super exilio, vel morte piandis
Tutari studio demens iactaret honesto.
O tenebræ, ô hominum fallax prudentia! Sæuo
Hæc secum voluens animo, spiransq; furorem,
Legatus veniens Solymis dum forte Damascum
Tendit iter, vinctos, seu vir, seu fœmina, passim
Vt raperet traheretq; omnes quicunque nouandi
Res studio ritus aspernarentur auitos,
Horrida de cælo ruit haud sperata sereno
Tempestas, quæ terrificum ceu fulmen & ipsum,
Quadrupedemq; simul, quo se sublimis agebat,
Strauit humi. Turbant comites, dein vox quoque toruo
Omnibus audita est sonitu, præfata sed vnum,
Saule quid insequeris me Saule? Ast ille, repenti
Attonitus quanquam casu trepidansq;, Quis (inquit)
Es domine, imprudens quem persequor? Hinc simulatque
Audiit hæc iterum, Ego sum cui nomen Iesus
Est Nazarenus, tibi durum impingere calcem
Tam duro stimulo, supplex adiecit & O quid
Vis Domine vt faciam? verbisq; ita lenibus iram
Fregit, & extemplo via quâ ducebat in vrbem
Iussus abire, abiit. Sed cassus lumine, apertis
Quanquam oculis, (dictu mirum, diuinitus vt se
Crederet his monitum signis) nec sat bene fultis
Erectus tandem pedibus, cæcumq; per vmbras
Prætentans iter, à comitum se chorte iuuari
Expetit. Horum ægrè manibus trans mœnia ductus,
Tres solidos sine luce dies, somnoq;, ciboq;
Peruigilans, pacem precibus veniamq; rogabat.
Ast ortu quarto, cuius iam mente tenebat
Effigiem monitu Diuûm, monefactus & ipse,
Ipse itidem iussus Tarsensem inquirere Saulum,
Astitit Ananias. Veluq; ex more leuatis

Vix admissus erat, vix cur venisset amicis
Effatus verbis, dicta acceptáque salute
Abrasis veluti squamis cum lumen ocellis
Redditur, & totis pariter sua robora membris.
O qui tunc plausus, quæ gaudia! O vbi Tigris?
O vbi palmiferæ valles, & odora Damasci
Gramina? Quis viui sistet me ad fluminis oram,
Purgatum vt limphis lustralibus, & cruce Christi
Signatum aspiciam sacris accingier armis,
Sancte quibus Stygio figas de rege tropæum?
Te colo, te veneror. quid enim tam cernitur vsquam
Eximium, quod non superet tua maxima virtus?
Cuius si vitam primis memoremus ab annis,
Nil non ingenuum, nil non occurret honestum.
Nascentem excepit Cilicum pulcherrima Tarsus,
Vrbs vetus & veterum iactans se iure Quiritum.
Nutriuit Solyme. Nec se veniente iuuenta
Desidiæ dedit, aut blando seruiuit amori.
Litterulis imbutus, &, vt succreuerat ætas,
Ad grauiora etiam sub Gamaliele magistro
Aptatus studia, vt leges moresque paternos
Sciret, & arcani diuina volumina Mosis,
Assiduus quam non operam dedit? Ille docentis
Ante pedes fixus, non se dimouit ab ore,
Inueniens semper quod disceret. Hinc nouus ipsi
Feruor, & accensis ira dolor ossibus hærens,
Obnixus contra si quis conuelleret audax
Quæ prisci seruanda patres præcepta dedissent,
Longus & exacti firmasset temporis vsus.
Sic Galilæorum conatibus obstitit acer,
Debita Romanis qui pendere regibus æra,
Censeri populum, compelli ad munera ciues,
Arbitrio nec quemque suo permittier, armis
Accincti falsa pro libertate, vetabant.
Atq; vtinam in tali semper pugnasset arena,

Non aliis, rerum quam turbatoribus asper,
Sed rectum prauo, verumq́; obtendere falso,
Virtutem vitio, confundere nomina rerum,
Ac cœlum terræ miscere, & sacra profanis,
Insontémque eadem qua sontem inuoluere causa
Immane est facinus. Fallit te Saule iuuentus.
Nil nimium durare potest. Nec sic tuus ipse
Gamaliel. (Ne sperne ducem) Cunctatius ibis,
Sed melius. Præceps atque inconsulta cupido
Fit furor. Excusas leges & iussa Senatus,
Immemor importunus vt hæc ambiueris ante
Quæ modo causaris, quò te defendere possis.
Tun' Mosen Christo, veterúmque oracula vatum
Obiectas? quem cùm Moses, tùm consona vatum
Carmina promittunt toties regémque Deúmque
Venturum auxilio terris, pacemq́; daturum
Æternam, & miserè afflictis solatia rebus.
En venit, promissa dedit, conscendit Olympo,
Vnde & plura daret. Sed enim cælestia dona
Conueniunt humili. te dum tam grandia iactas
Te fugiunt, Saulósque omnes, omnésque superbos,
At Paulos modicósque vltrò nec iussa sequuntur.
Tu nunc Paulus eris. Venia dignissimus error,
Qui te imprudentem, cum nil tibi conscius esses,
Impulit vt notos etiam carósque sodales
(Hos inter Stephanum) quanuis male perdere malles
Quam ferre antiquo quidquam discedere regno
Pontificum, qui more Patrum tunc sacra tenebant.
At grates age Paule Deo. Sunt hæc sua dona,
Quod cæca te mente diu non pertulit atris
Palpantem in tenebris, vmbráque & imagine ductum
Has potius veram quam cæli admittere lucem.
O amor, o pietas! Deus hæc tua non bene facta
Ceu nati tulit offensam, gauisus amanti
Oblatum cupidè quod mox ignoscere posset,

Vltrò etiam donis cumulans te ingentibus, vt si
Funderet aurato fruges bona Copia cornu.
Vtere sorte tua. Sentisne vt pectora subter
Igneus accensus vapor, & te flamma fatigat,
Nec sinit ignotum vitam traducere inertem?
Non illi hæc similis flammæ quæ te prius, acri
Flagrantem inuidia, in Christum Christique ministros
Impulit infesto nequidquam insurgere ferro.
Ah verè miser. At faustum felixque putabas,
Munus ad hoc alijs falsò prælatus honore,
Imbellem & tantum patienda ad vulnera fortem
Cædibus,atque fuga terris excindere gentem.
Nemo malus felix. Gaude mutatus ab illo
Qui fueras. etenim postquam nouus ignis adhæsit,
Inuidiæ successit amor, successit honestum,
Successit pietas, & spectatissima virtus
Rebus in aduersis patientia. Talibus armis
Instructus protolle pedem, tota agmina victor
Sternes. Sed vincent victi quoque, ferre coronam est
Cuique suam longum quæ non marcescat in æuum.
Felices pugnæ suæ sunt vbi præmia victis,
Felices etiam sine cæde & strage triumphi.
Macte animo, confide Deo, primámque Damascum
Arripe. Iámque tenes, & totam nomine comples
Paule tuo. Hæc illi merces reddenda recepti
Luminis, hoc pretium. Sit deinceps conscia laudum
Officiis seruata tuis, malefacta videndo
Quæ fuerat scelerum. Stupeat vaga turba recenti
Commota ostento, concurrant agmine ciues,
Mirentúrque nouos fetus insuetáque poma
Arboris & succo, & foliis, & cortice amara.
His tu principijs aliquo pòst tempore vises
Petræos Arabas. Nec te rex illius oræ,
Parte, Aretas, regnans Syriæ quoque, terreat, armis
Herodem generum, Romanáque signa lacessens.

Non illi insidias tendis, nec onustior auro
Vt redeas longinqua petis. Tua lucra coëmpta
Sunt animæ, viles illis qui regna gubernant,
Nec subit esse deos, aliámque a funere vitam.
Spernere quos monuit (Facilem te redde monenti)
Auspice quo sic bella geris, quos viceris hostes
Vt victi nolint te non vicisse, beati
Quod tanti ducis ense cadant, cum se quoque vincant,
Quicquid & aduersum sors obijcit. 7 pede fausto.
Gens Arabum fera, gens infida, atque aspera cultu,
Nec magnum est operæpretium tentasse superbos,
Quósque sui seduxit amor; sed gens tamen ista
Nota abauis atauísque tuis dux corniger ex quo
Isacidas Pharijs olim traduxit ab oris
Iordanem ad fluuium, sacri media arua secantem
Imperij, vnde salus totum manauit in orbem.
Et pigeat segnem te aliquam his impendere curam?
O vtinam tua nunc iterum vestigia seruans
Diuinæ celebrem tot, tanta encomia laudis!
Abrami soboles, prisca tot millia gentis,
Cum pueris & coniugibus (mirabile dictu)
Per loca senta situ, per sola & inhospita tesqua,
Per loca quæ rapidi nequeant attingere Soles,
Lucósque, dumósque, abruptáque saxa tot annos
Errabant, inopes simul ac nullius egentes.
Copia erat sua cuique Deus, nunc manna refertis
Collectum calathis, nunc æthere lapsa coturnix,
Aut palma, & duro expressa de marmore limpha.
Denique nec vestis deerat, nec calceus vlli,
Et quoties his atque illis mutata fuerunt
Castra locis, toties diuina potentia sese
Prodidit, ingeminans varijs miracula formis.
Sinæi taceo sacrata cacumina montis.
Forsan & hæc tibi causa viæ, noua iura daturus
Vt firmes vetera, & Mosem virtutibus æques,

Success-

Successu superes, victor non axe sub uno,
Sed quâ quadrifidum lustrat Sol aureus orbem.
Nec verò hic Arabes te longa ambage morentur.
Inuenient alios per quos mitescere possint.
Iam reducem expectat Syria, & tua cura Damascus.
Haud tamen hic quoque tutus eris. Disperdere quærunt
Te consanguinei, te regius vndiq; terror.
Ipse urbis custos portas indagine cingit,
Obseruátque vias, ne quâ elabaris inultus.
Sed fratres veri, sacro quos fonte renatos
Iunxisti tibi, demisso per mœnia fune
Impositum emittent sporta, noctisq; per vmbras
Euades dubiæ manifesta pericula vitæ.
Tertius atq; adeo vix fugerit annus ab illo
Tempore quo Christi es fulgentia castra secutus,
Talia post exorsa nouæ, quam sanctè subisti,
Militiæ, Petrum vt videas, visóq; fruaris,
Amplectens veneransq; virum cui summa potestas
Obtigerat mandante Deo, primásque ferebat,
Accedes Solymos, animumq; explebis honestum.
At illi, atq; alij (nam conuenere frequentes)
Audito Sauli trepidantes nomine, (Tantum
Fama potest) tali se credere posse negabant,
Donec eum vindex sancto coëunte Senatu
Apprensum dextra Barnabas Cyprius intro
Duxit, & ostendens factum diuinitus id quod
Factum erat, excussit turbantem corda timorem.
Ex quo perspectum Paulus sibi tempore summa
Iunxit amicitia, multa & præclara gerendo
Tali operum socio, qui, par primoribus ipsis,
Ipse etiam abijciens patrimoni multa talenta,
Aeternos celebri signauit nomine fastos.
Coniunctis igitur studijs ac viribus ambo
Non tantum Solymæ, Petri ducis arma secuti,
Aut solos apud Isacidas formidine nulla,

Non illi insidias tendis, nec onustior auro
Vt redeas longinqua petis. Tua lucra coëmpta
Sunt animæ, viles illis qui regna gubernant,
Nec subit esse deos, aliámque a funere vitam.
Spernere quos monuit (Facilem te redde monenti)
Auspice quo sic bella geris, quos viceris hostes
Vt victi nolint te non vicisse, beati
Quod tanti ducis ense cadant, cum se quoque vincant,
Quicquid & aduersum sors obijcit. I pede fausto.
Gens Arabum fera, gens infida, atque aspera cultu,
Nec magnum est operæpretium tentasse superbos,
Quósque sui seduxit amor; sed gens tamen ista
Nota abauis atauísque tuis dux corniger ex quo
Isacidas Pharijs olim traduxit ab oris
Iordanem ad fluuium, sacri media arua secantem
Imperij, vnde salus totum manauit in orbem.
Et pigeat segnem te aliquam his impendere curam?
O vtinam tua nunc iterum vestigia seruans
Diuinæ celebrem tot, tanta encomia laudis!
Abrami soboles, priscæ tot millia gentis,
Cum pueris & coniugibus (mirabile dictu)
Per loca senta situ, per sola & inhospita tesqua,
Per loca quæ rapidi nequeant attingere Soles,
Lucósque, dumósque, abruptáque saxa tot annos
Errabant, inopes simul ac nullius egentes.
Copia erat sua cuique Deus, nunc manna refertis
Collectum calathis, nunc æthere lapsa coturnix,
Aut palma, & duro expressa de marmore limpha.
Denique nec vestis deerat, nec calceus vlli,
Et quoties his atque illis mutata fuerunt
Castra locis, toties diuina potentia sese
Prodidit, ingeminans varijs miracula formis.
Sinai taceo sacrata cacumina montis.
Forsan & hæc tibi causa viæ, noua iura daturus
Vt firmes vetera, & Mosem virtutibus aques,

Successu

Successu superes, victor non axe sub vno,
Sed quâ quadrifidum lustrat Sol aureus orbem.
Nec verò hic Arabes te longa ambage morentur.
Inuenient alios per quos mitescere possint.
Iam reducem expectat Syria,& tua cura Damascus.
Haud tamen hic quoque tutus eris. Disperdere quærunt
Te consanguinei,te regius vndiq; terror.
Ipse vrbis custos portas indagine cingit,
Obseruátque vias,ne quâ elabaris inultus.
Sed fratres veri, sacro quos fonte renatos
Iunxisti tibi, demisso per mœnia fune
Impositum emittent sporta,noctisq; per vmbras
Euades dubiæ manifesta pericula vitæ.
Tertius atq; adeo vix fugerit annus ab illo
Tempore quo Christi es fulgentia castra secutus,
Talia post exorsa nouæ, quam sanctè subisti,
Militiæ, Petrum vt videas, visóq; fruaris,
Amplectens veneransq; virum cui summa potestas
Obtigerat mandante Deo, primásque ferebat,
Accedes Solymos, animumq; explebis honestum.
Ast illi, atq; alij (nam conuenere frequentes)
Audito Sauli trepidantes nomine, (Tantum
Fama potest) tali se credere posse negabant,
Donec eum vindex sanctò coëunte Senatu
Apprensum dextra Barnabas Cyprius intro
Duxit, & ostendens factum diuinitus id quod
Factum erat, excussit turbantem corda timorem.
Ex quo perspectum Paulus sibi tempore summa
Iunxit amicitia, multa & præclara gerendo
Tali operum socio, qui, par primoribus ipsis,
Ipse etiam abyciens patrimoni multa talenta,
Aeternos celebri signauit nomine fastos.
Coniunctis igitur studijs ac viribus ambo
Non tantum Solymæ, Petri ducis arma secuti,
Aut solos apud Isacidas formidine nulla,

Sed quosuis alios quocunque sub aëre natos
Liberi & erecti Christum docuere quis esset,
Suadentes pulso putri per membra veterno
Et tenebris lucem, & verum praeponere falso.
Sed Paulo rursum insidiae, vitaeq́; paratur
Exitium. Vigilant fratres, ductúmque latenter
Caesaream inde monent Tarsum patriamq́; reuisat,
Tutior aspectu procerum quò longius absit.
Interea varijs appulsi sedibus ingens
Quos metus ob mortem Stephani sancta expulit vrbe,
Quam Christi imperio poterant impendere curam
Praestabant hilares. Dux ipse exempla daturus,
Prodigijs signisque potens, vbicunque per omnes
Conuentus aderat, factis verbísque iuuabat,
Sacra ferens, solánsque animos, & robore firmans.
Quin & Oronteae penetrans ad moenia Daphnes,
Sacrati hic regni tunc fundamenta locauit.
Maximus vnde illuc praestantum laude virorum
Concursus. Quorum in numero neque Cyprius vnus,
Et plures, qui longinquis venere Cyrenis,
Suasere assiduè, magnis rationibus vsi
Iudaeos simul ac Graios, fortésque Latinos,
Et quauis alia natos de gente profanos
Depositis odijs vni dare nomina Christo,
Oblatámque vltrò non despectare salutem.
Nec frustra fuit ille labor, cui Numen amicum
Adfuit, & blando caelestis gratia vultu.
Quod postquam Solymis auditum est, Antiocheam
Mittitur allectus Paulo comes optimus, atque
Spectatae fidei, & diuina afflatus ab Aura.
Qui simul aspexit rem quo narrata fuisset
Esse loco, laudans factum, coeptámque cohortans
Ire viam, Tarsum petijt, Paulóque recepto
Vnde ierat redijt, secúmque in praelia ducens
Victorem toties, toties spolia ampla ferentem,

Immane

Immane eſt quantas proſtrarit vterque cateruas.
Et quoniam quanto plures ſine ſanguine victi,
Tanto etiam plures vinci voluere, nec vltra
Sculptoris vani arbitrio, dum venditat artem,
Perferre aut ligno, aut factos de marmore Diuos,
Succeſſu creuit ſtudium, vt ſolet, ampla laborum
Præmia dum recreant animos, moroſáque pellunt
Tædia, & ignauos generoſo è pectore ſomnos.
Vixdum igitur ſolidum ſe verterat annus in orbem,
Cum iam collectis hominum tot millibus, vna
Voce Deum, Natúmque Dei, vtriuſque & Amorem
Laudantum, audiri cœptum eſt in finibus illis
Illuſtre, eximium, & quo non ſublimius vllum
Chriſtiadûm nomen. Salue ô clariſſima tellus
Nec quidquam cedens illi quæ prima creatum
Aſpexit de limo hominem. quid enim eſſe iuuabit
E vili putríque luto, niſi ſanguine ſancto
Damnatos primíque patris commiſſa luentes
Nos redimat, ſoluátque nefas aſſertor Ieſus?
Salue iterúm, ſalue tellus fauſtiſſima, & ô ſi
Perpetuo Petri monitis, Paulíque ſtetiſſes.
Sed Romam meliora manent. At tu mihi Phœbe,
Latona cum matre, & venatrice Diana,
Seu placidus citharam, ſeu tendis ſæuior arcum,
Quidquid agis, fallax commentum & fabula vatum,
Tu mihi Phœbe vale. Daphnen, tua regna, relinque,
Linque focos aráſque, etſi non Theſſala Tempe
Te capiant magis. En multo te fortior ille
Qui nuper tua præda fuit. Parere neceſſe eſt
Non vni tantum Paulo, ſed quotquot ab illo
Edocti Chriſtum regem dominúmque ſequentur
Inſignes eius cognomine, cui comes hæret
Gratia, & affuſo nitidi decor oris oliuo.
Atque hæc tam celebri dum ſpectabantur in vrbe,
Nonnulli Solymis illuc venere probati

Dicendo ventura viri. Quos inter Agabus
Fatidico enarrans voluentia tempora cantu,
Aduentare famem Claudi sub Cæsaris æuum
Prædixit, monuitq́, bonis succurrere amicis,
Quos triste exilium & pietas fecisset egentes.
Hic iterum Paulus collegam nactus eundem,
Impositum subiens onus, & collecta suorum
Æra ferens Solymis mox dispensanda minutim,
Vt primum rediit, sociisq́, exacta probauit
Concilio in magno magna virtute virorum,
(Vt soliti) precibus pia dum ieiunia iungunt,
Dum pacem veniamq́, petunt, arisq́, ministrant,
Vox excepta Dei est Paulum, Paulíque sodalem
Seponi mandans, aliósque accingier orsus.
Illi opere in tanto, vt par est, ieiunia casta
Instaurant, sanctásque preces, iteratáque sacra.
Dein capiti impositis manibus bona cuncta precati,
Tali illos ritu prisco de more sacratos
Dimittunt quocunque ferat diuina voluntas,
Non equidem ornatos rhedísque & nauibus altis,
Non seruis, & equis, stipatorumq́, cateruis,
Sed vacuos in palliolis & paupere cultu,
Securos tamen, & nil vsquam triste timentes,
Queis custos Deus & vindex acerrimus adsit,
Ipse comes, Dux ipse viæ, & certissimus auctor.
Nam cùm de cælo te vox audita sereno
Auulsum sociis opera ad diuina vocauit,
Tunc ego crediderim te tunc ò maxime Paule
Mæstum ac sollicitum, perrarò & pauca loquentem,
Voluentemq́, animo quæ sint ventura, repente
Arreptum ad Superos Paradisi gaudia læti
Arcanis vidisse modis, vidisse & Iesum,
Qui te perculerat, placido tunc fulgere vultu
Verba inter nequeant vlla quæ voce referri.
Nec vero ille ego sum stultè qui scire requiram

Id quod scire nefas, tentor tamen. ecquid enim sit
Si non perpetui series operosa laboris,
Atq; eodem intuitu merces quoq; grandior atque
Vberior, quanto terris cælestia præstant,
Diuina humanis, mansura æternaque fluxis?
Hoc tu Paule doces, factísque & moribus imples.
Hinc tibi seruata tanta est fiducia palmæ,
Hinc & tantus amor, quem nec regum ira, nec enses,
Nec flamma, nec liuor edax, nec tristis egestas,
Nec populi furor, aut Stygÿ vis sæua tyranni,
Non mors, non vlla poterunt abolere ruina,
Téque tuo, quem suspiras, abducere Christo.
Felix ò nimium felix! Sed nos quoq; tecum
Felices, pars vlla tui si tangat amoris.
Sic itaq; Antiochi progressi mœnibus vrbis
Matris Laodices natique per arua Seleuci
Litoreum ad tumulum, curua subeunte carina
Inde Cyprum, & Salamina petunt. Hic sceptra tenebat
Æacides olim Telamon, si vera feruntur.
Tunc vero Æneadûm latè loca subdita regno.
Paulus enim, patrio cognomine Sergius, omni
Iura dabat populo. Nec erat prudentior alter.
Ipse sed hinc aberat quam longa est insula ab ortu
Solis ad occasum, celsis quâ mœnibus æquor
Despectant Paphÿ, Veneri gratissima sedes.
Cuius in obsequium iussæ prostare puellæ
Concubitu turpi famoso in litore turpem
Vulgato (pudet ah) quærebant corpore dotem.
Compositis igitur rebus, Salamine relicta,
Inde peragratis Cypriorum finibus, ambo,
Captura facta ingenti, haud sine Numine, notam
Iam celebres fama, quam propter sponte vocati,
Peruenere Paphum. Faciles Proconsulis aures,
Accessus facilis. Sed eo notissimus æuo,
(Simonis de gente, reor, vel gente Menandri)

Obstitit incœptis Elymas magus, arte pudenda,
Arte tamen qua nulla domos penetrantior intrat
Induperatorum, regúmque, ducúmque, quot vsquam
Publica sic agitant, nacti vel maxima semper
Vt cupidè maiora petant, inhiéntque futuris,
Cum neque quod præsens est recte impendere possint.
Inquirunt mortes, inquirunt tempora, quid sors,
Quid Fatum, aut Fortuna parent, momentaq́; soli,
Non opera, non consilijs vllius egenti,
Nota Deo. Spondet tamen ars hæc omnia, dum se
Cantibus atque herbis, numeros ac sidera miscens,
Venditat, & nusquam quæ sunt vult esse videri.
Non tulit ergo Elymam Paulus maledicta canentem
In Christum, cuius coram tunc astitit ipse
Legatus, vultúque planum, dictísque seueris
Increpitans. Sed cum nihil illum verba mouerent,
Addam (ait) exemplum. Magicis hucusque tenebris
Inuoluisti orbem: Tenebræ tua lumina obumbrent,
Cæcus abi mandante Deo. Fit cæcus, & atra
Mersos intorquens oculos caligine, quærit
Ductorem titubante manu. Perterritus astat
Sergius, ast oculis lucem quam perdidit ille,
Hic Pauli credens monitis in mente recepit.
Sic fixo Paphijs in collibus auspice Christo
De Cypro erepta Veneri fulgente tropæo,
Paucis cum sociis, eadem qui sacra ferebant,
Victor ouans placidis à puppe ferentibus Austris
Nauigat, & celeri transmissa per æquora cursu
Late vbi pomiferos aperit Pamphylia saltus
Optata tandem gaudens allabitur ora.
Dein priscos inter Lycios, Cilicésque feroces
Quâ celer Eurymedon, Persarum cæde cruentus,
Aspendum & Pergen lato discriminat amne,
Hic Pergen subit, & Pergææ templa Dianæ
Præteriens claram Antiochi diuertit ad vrbem,

Quam

Quam Pisida coluere feri, & prædator Isaurus,
Romanam illustrans noto cognomine gentem.
Hic mixti Hebræis alijs quoque gentibus orti
Quisque sua Diuos pro religione colebant.
Sed Paulo solenne fuit præferre profanis
Abrami de stirpe satos. Et septima forte
Sabbata erant. Intrans igitur de more proseucham,
Postquam assedisset, simul inuitatus & ipse
Dicere quæ vellet, post facta silentia longa
Sermonis serie, repetens ab origine caussas,
Deberi ostendit terris hominemq́, Deúmque,
Qui vitam reparet moriens, & crimina soluat,
Esse nec hunc alium quam, quem laudabat, Iesum,
Quem prisci celebrent vates, quem carmina regis
Iessai, & nuper digito monstrauerat ipse
Magnus Iohannes, quo non veracior alter.
Dixerat, & potuit iam persuasisse videri,
Sabbata seruari placuit tamen altera. Quæ cum
Instarent, subito tam conuenere frequentes
Quam soliti Circis, aut concursare theatris.
Obfuit hoc ipsum, furijsq́, accendit & acri
Inuidia, populo dum se vilescere credunt,
Hebræos proceres. Nec cessauere proteruos
Iritare animos dictis plebísque Patrúmque,
Femineis etiam illecebris atque artibus vsi,
Queîs facile est lactare viros, & texere fraudes,
Donec cum socijs operum sanctisque ministris
Dilecti ante alios populi fastidia culpans,
Excusso pedibus sceleratæ puluere terræ,
Paulus ab immiti pulsus discederet ora.
Unde per Arcadici cognata Lycaonis arua
Ventum est Iconium. Fuit hoc quoque nobile nomen
Nec multum dispar fuit exitus. Orta repente
Seditio causis nec non auctoribus iisdem
Obstitit optatum votis ne læsa videret

Succeſſum pietas. Quin & grauiora parabant
Flagitia, vt ſaxis agerent ruerêntque. Sed illi
Præmoniti ſceleris, Derben, Lyſtrámque petentes,
Euaſere nefas. Nec erant diſcrimina tanti,
Vt ſanctum ceſſaret opus. Perſiſtere fortem
Conuenit, & læſo mortem præferre pudori.
Sed tamen effugio locus eſt tectíſque latebris,
Et licet ingratos contemnere, non tamen illis
Ad facinus munire viam, & feciſſe nocentes.
Mutatis igitur terris, Genióque locorum,
Ardentes inſtant operi, & quod forte negatum
Iconij tentant alibi, vt ſi gurgite in vno
Nil capias, alio merſes tua lina profundo.
Hoc Lyſtræ eximium, quod ibi cum ciuis adeſſet
Affectis æger pedibus genitricis ab aluo,
(Nam claudum ediderat) neutro vt conſiſtere talo
Poſſet, & intrepidis veſtigia figere plantis,
Hunc ſimul aſpexit Paulus, ſed mente valentem,
Sperantémque ſuo medicum ſupereſſe dolori,
Vt iacuit, magna compellans voce iacentem,
Surge, ait. Et dicto citius ſe erexit in auras,
Subſultans, pulſanſq; nouo latus pede terram.
Non factum humanis ſenſere hoc viribus. Ergo
Attoniti accurrunt omnes, duo Numina credunt,
Mortali indutos ſpecie, te Mercuri & vna
Aduenisse Iouem, comes hic, ſit Paulus vt ille,
Eloquio Paulus, grauitate notabilis alter.
Audijt hæc Flamen vicini forte Tonantis,
(Rure ſuburbano ſua nam delubra tenebat)
Nec mora, ſiue ſuum cupiens accendere quæſtum,
Siue Dei laudes, ſeu (quod fas credere) vtrumque,
Dona ferens, varia néxas de fronde coronas,
Turáque, ſacratis ſolennia munera Diuis,
Admotóſque aris aurata fronte iuuencos,
Cum populo Dis hoſpitibus libare parabat.

Isti autem offensi discissa veste ruebant
In medium, &, quod erant, homines sese esse professi,
Sed sancti veríque Dei viníque ministros,
Dum vana abductos specie hunc agnoscere solum
Hortantur, maris & terræ cælique potentem,
Antè quidem notum magni moderamine mundi,
Dum pluit, & lætis fecundat frugibus annum,
At maiora suis olim atque æterna daturum,
Vix tandem exortos ita composuere tumultus.
Iam stabat Lystra, poterat iam tuta videri,
Finitimis etiam Christi pia signa secutis;
Quando iterum inuidiæ stimulis ardentibus acti,
Qui prius Iconij, tunc hic quoque perdere Paulum
Aggressi, saxis sic oppressere, relictum
Corpus vt abijcerent, tanquam si mortuus esset.
O nimis infidum variúmque ac mobile vulgus!
Factus heri Deus est, hodie perit. Ipse tamen se
Sustulit, & fidis noctem largitus amicis,
Postridie Derben repetens, dein plura retrorsum
Oppida, multa monens mandánsque, & dura ferendo
Vincere dura docens, quoniam sic itur ad astra,
Præpositis operum loca per diuersa magistris,
Substitit Attaliæ. Lycióque à litore soluens,
Antiochi sacram rursum peruectus in vrbem,
Rettulit ad sanctum victor sua bella Senatum.
Dúmque ibi non paucis facta est mora grata diebus,
Ecce recens aliunde labor. namque æmula Mosis
Gens Hebræa sui, sperni præputia iniquo
Ægra ferens animo, & quanto concurrere plures
Ad sacros vidit fontes, qui friuola tanquam
Despicere auderent prisca mysteria legis,
Tanto feruidius studia in contraria tendens,
Omnia dissidiis miscebat & omnia luctu.
Dux facti Cerinthus erat, sectator Iesu
Dum licuit, falsò sed pòst se hoc nomine iactans,

Ausus

Ausus Johanni est, ausus se opponere Petro,
Tunc quoque Paule tibi.neque enim te inuisior alter,
Cui semper vigili prima & vel maxima cura
Parietibus iunctis Christi vt consurgeret alte
Regia,bis senis fulgens innixa columnis.
Et quanquam exemplis poterat res clara videri
Eunuchi Æthiopis,Cornel I Centurionis,
Cœpta semel mansit discordia caca furore,
Donec eam celebri: sanctam conuentus ad vrbem
Dissecuit,gentésque alias hoc fasce leuauit,
Nil prater castum mandans seruare cubile,
Nec vesci immundis quidquid venisset ab aris.
Sic sibi,sic placuisse Deo prafantur, & omnes
Decernunt vulganda Patrum consulta per oras,
In primis Syria. Quo cum rediisset & ipse
Paulus,inexhausto vincens aduersa labore,
Tot varias inter curas noctésque diésque
Diuino inuigilans operi,dum mente volutat
Quidnam vbinam praestet quo publica commoda crescant,
Antè pererratas iterum stat visere terras.
Nec collega negat, sed vt adsit tertius optat
Marcus Iohannes. Non aquè acceptus vtrique
Hic erat. Hinc Silam legit sibi Paulus,at ille
Cum Marco repetens Cyprum,partitus honorem est.
Ipse Palastinas quâ pulsant aquora turres,
Ipse Syros,& Casarea pradiuitis arua,
Et sauos adiit Cilices,Tarsúmque superbam,
Quam pulcher gelidis Cydnus perlabitur vndis.
Inde Lycaonia sunt, & Pamphylides vrbes.
Quas inter Lystram cum peruenisset amœnam,
Immemor offensa veteris pulsiq; pudoris,
Traditur hic illi iuuenis de patre profano,
Matre sed Hebraa, sacro iam fonte renatus,
Timotheus, populo laudatum nomen ab omni,
Et (quod res docuit) nulli pietate secundus.

Quem

Quem simul accepit, cernens quantum instar in illo,
Quantus amor recti, quanta & constantia amoris,
Nec minus expendens Iudaea taedia gentis,
Expertus toties duro circumdata ferro
Pectora, & infestas nolenti cedere dextras,
Dilectum primos inter numerauit amicos,
Virtuti hoc tribuens. Sed vt esset gratia maior,
Nec quisquam Isacidûm posset reprendere tanquam
Immundum, & veterum spernentem insignia legum,
Praecidi, atque notam voluit praeferre parentum
Materni generis, quamuis pater exterus esset.
Non hoc antè Tito dederat, Petrúmque negarat
Posse dare, atque alias veris obtrudere formas.
Vicit amor, vicit pietas, omnésque coëgit
Se induere in facies, omnes acquirere Christo
Vt posset, laetos hilaris, tristísque seueros.
Ergo & iurgia erant non iurgia, si qua videri
Vniiuges poterant disiungere verba sodales,
Quos vita iunctos nec mors suprema diremit.
Nunc etiam iunctis seruant pia foedera dextris,
Intenti nostram assiduè curare salutem.
Proxima Pamphylis hinc fortis Isauria, & illinc
Sunt Lycij, Lycijs Cares, Mysique, Phrygésque,
Dein Galatae, mox Paphlagones, pontóque propinqui
Euxino populi. Per quos tunc Paulus eundo,
Multa docens, factísque probans quae voce doceret,
Sacrati imperij noua fundamenta locabat.
Nec voto difformis erat successus, inani
Irrita quod numquam laxarat retia iactu.
Cum tamen ad Galatas Phrygibus post terga relictis
Esset iter, tacito subter praecordia motu
Senserunt Asiae cedendum finibus, intra
Hos vetiti coeptam vlteriùs vulgare salutem.
Sed fas esse rati Bithyna requirere regna,
Conuersi ad Mysos, non quo voluere, sed auctor

Quo

Credidit, & puro tincta est diuinitus amne
Lydia, cui grandem venalis purpura censum
Quæsierat, nec erat melius quò impendere posset.
Hæc illos, nulli consuetos esse molestos,
Perpulit insigni pietate subire paratum
Hospitium, atque suæ victum non spernere mensæ.
Interea Stygio possessam sorte puellam
Ab Genio, (Pythona vocant) quæ, vt Pythia Delphis,
Diuinans populo fundebat fata petenti,
Respiciens Paulus de se sociisque canentem,
Seruos esse Dei, quos obseruarier æquum,
Ingemit, & Lemurem verbis vultuq; seuero
Increpitans exire iubet. Dicto ocius ille
Paret, & ignaram quid sors, quid fata relinquit.
Sed quia serua fuit, multoq; vberrima quæstu
Ditabat dominos, domini, sua damna putando,
Ægro indignantes animo, cæciq; furore
Concurrunt, prensósque velut qui publica turbent
Collo in iura trahunt. Facilis iactura bonorum,
Quos algens tantum pietas, prope nomen inane,
Commendat populo, si non & commoda portent,
Et repleant loculos. Quid tum si commoda lædant?
Ipse Magistratus tam viles tamq; pusillos,
Vltro vt probra ferant, nec saltem voce refellant,
Nudatos tunicis Paulum Silamq; cruentis
Concidi flagris iubet, atque in vincula duci.
Est locus interior, strictis vbi robore plantis
Seruati tacita per amica silentia noctis
Solennes domino laudes gratesq; canebant,
Cum motu terræ ingenti tremefactus & ipse
Est carcer. Patuere fores, pedicisque solutis
Sponte sua, poterant impune euadere capti,
Territus & monstris custos fugisse putabat,
Atque adeo arrepto voluit se perdere ferro,
Sed vetuit Paulus, clamans esse omnia salua.

Constitit illatis mox vt salua esse lucernis,
Ille pijs voluens genibus rogat ecqua salutis
Sit via. Demonstrant Christum. Dat nomina Christo
Ipse, suíque omnes, ablutáque vulnera curant,
Et lati apposita monstrant sua gaudia mensa.
Non potuit facti non conscius esse Senatus.
Panituit, nec tam subito sententia lata
Quam reuocata fuit. Custos dimittere iussus
Nunciat hoc Paulo. Negat ille, &, Quinam (ait) isti,
Romanos sine more palam saeuissima passos
Sic clam qui extrudunt? Veniant, & crimina purgent.
Nec mora, Romana veniunt formidine fama,
Multáque causati, quod non potuere minando
Efficiunt precibus. Sancti sua dona volenti
Dant vltro, inuitum fugiunt. Tua gratia mansit,
Lydia. Quam postquam collectis vndique amicis
Visissent, motis adeunt loca proxima castris,
Amphipolim primo, gelidi quam Strymonis amnis
Cingit, & à magna medius discriminat vrbe,
Thessala cui clarum fecit victoria nomen.
Atque illam leuiore gradu, vicináque quadam
Oppida percurrunt alacres, maioribus ista
Auspiciis capienda fuit. Noscenda peritis
Est ducibus natura loci quem Marte lacessant.
Audierant igitur comem populum atque benignum,
Quíque illic agerent Mosis pracepta tenentes
Haud similes alijs, quos iam violentia notos
Fecerat, at cultos magis, intentósque labori
Assiduè veterum versare volumina vatum.
Hoc Paulo vicisse fuit. Tria Sabbata postquam
Appulerat dedit huic operi, multisque probauit
Non alium vates, alium se tradere Christum.
At verò ciues facili magis occupat arte,
Commodus & patiens, nulli grauis, omnibus aquus.
Talis enim cuiuis quid non persuadeat, apta

Si qua voce sonat vita irreprensa loquatur?
Successum remorata tamen teterrima plebis
Seditio. Hospitium sanctis præbebat Iason.
Quæsitos illic vt non reperere, repertum
Mulcantes dominum, raptim ad subsellia ducunt.
Verùm ipse, atque alij se tutabantur honestè.
Nec leuis hos illos, sed Paulum turba petebat,
Et Silam. Noctu qui migrauere Berœam,
Hanc quoque præstantem fama, nec prorsus inani.
Multa ibi nobilitas, atque ingens ardor honesti.
Comperit hoc vsu Paulus. per Sabbata namque
More suo in cœtu multa & præclara loquentem
Audierant auidi, vt noua quæ sibi visa fuissent
Collata antiquis possent contendere, & inde,
Tanquam ignem silicis conflictu, elidere verum.
Hoc placuit. quis enim tali semente peracta
Non speret grauidas stipare per horrea messes?
Tempestas eadem quæ cultis incidit agris
Thessalonica tuis, votis inimica coloni,
Hos quoque concussit, tamen vt reuirescere possent.
Temporibus cessit Paulus, persuasus amicè,
Atque ibi Timotheo Silâque haud sponte relictis
Ad mare descendit. Dein vela vocantibus auris
Nauigat, & magnas cursum tenet acer Athenas.
O felix animi, fortunatusq́ laborum!
Magna petis, paret rerum natura petenti,
Agnoscitque Deum, qui, fons & causa bonorum,
(Nam mala nec mala sunt) sancto facit omnia nutu.
Ille suum terris cupidus diffundere Numen,
Misit ad hoc natum. Qui, lex & regula vitæ,
Postquam quod patriis regnum fundauerat oris
Bis senos inter Petro transmisit habendum,
Te quoque in æterno regnans iam victor Olympo
Illi collegam dedit, vt per Barbara regna
Mille rudes populos sponte exoptanda vocares

Subiuga quæ soli subeantq́, ferantq́, beati.
Nec te commoueat tam clarum nomen, Athenæ,
Priscaq́, nobilitas, & Curia Martis Athenis,
Non oratorum cunei, qui pectora vulgi
Sic agitant agitur tumidis vt follibus ignis,
Non flauæ tutela Deæ quæ possides arces,
DIue, Deáue omnes quos fertilis ille Deorum
Angulus eduxit, studioq́, sacrauit inani.
Pro te consurget, tua spes, tua gloria, Christus.
Cuius ab aspectu ceu flammis cera liquescit,
Ceu fugiunt molles aquila veniente columbæ,
Nec Boream nubes, nec lucem sustinet vmbra,
Deficient, fugient, cedent quicunque repugnant.
Nec plura Alcides fudit, fudisse vel olim
Mendaces illum fingunt portenta poëtæ,
Aut pugnax Theseus, puppísque repertor Iason,
Et Danaë Perseus, & natus Agenore Cadmus,
Quam tu Paule vna prosternes victor in vrbe.
Illa quidem pulchra est vt pulchri ex ære colossi,
Sed foris, introrsum turpes rubigine tetra.
Ecquod enim horrendum magis, aut mirabile monstrum
Quam (cum natura vis, & simul omnia clament
Tantum vnum, qui cuncta creet, qui cuncta gubernet,
Esse Deum) sibi quisque Deos quod fingat, & illum
Præficiat filuis, hunc fontibus atque lacunis,
Vilibus aut aliis curis quas dicere nolo,
Haud aliter belli quam si dux munia didat,
Aut variis figulus discriminet vsibus ollas?
Diuisos taceo studiis, quos torqueat ira,
Quos amor, atq́, odium, & nunquam satiata libido,
Ante alios ipsum (si fas dixisse) Tonantem.
Inde furens Iuno violati crimina lecti
Increpat, & sæuis cælum clamoribus implet,
Nunc hac, nunc alia sumens de pellice pœnas,
Nec parcens natis, ne quid patiatur inulta.

Vnde graues inimicitiæ, & cœlestia bella,
Structæ etiam insidiæ Diuûmq; hominúmque parenti.
Hoc grauidæ monstrum postquam peperistis Athenæ,
Monstrum informe, ingens quod non det corpora leto,
Aut vastet segetes, (neque enim hæc est maxima cura,
Postquam debemur morti nos, nostráque) verùm
Æternas animas æterno immergat Auerno,
Quis pudor atque metus, vel quæ reuerentia famæ,
Quis scelerum modus est, vbi quicquid turpiter ausis
Semper in exemplum trahitur Deus? Ebrius Euan,
Silenúsque pater, Mars deprædator & exlex,
Fallax Mercurius, magus atque impostor Apollo,
Mulciber vxoris leno, implacabilis Orcus,
Neptunus violens, mœchus cum gente Deorum
Iuppiter, at virgo vix vna è chorte Dearum.
Torua oculos Pallas, vt quæ se vindicet armis,
Virgineum horribili defendens ægide pectus,
Nec tamen intentata viro, vt nec regia Iuno,
Iurgatrix licet, & sæuis metuenda sagittis
Delia, quæ trepidis quòd parturientibus adsit
Ferre timet quæ ferre videt tormenta puellas
Cum primùm pariunt, atque execrantur amores.
Idcirco in siluis agit, & connubia vitat.
Quid puer Idæus? quid cæculus ille Diones?
Hinc factum vt liceat cœlum dixisse lupanar.
Hoc igitur monstrum, de quo tot nata per orbem
Monstra, vt Paule domes, te tellus Attica poscit.
Iamq; ades, & tecum ipse Deus, iam lumina præfers,
Certa signa viæ qua scanditur arduus æther.
Errantes reuocas, aliam post funera vitam,
Iudiciumq; animis in corpora functa reuersis
Expectare mones, sanctum & venerabile cunctis,
Quo sine nulla salus, inculcans nomen Iesu.
Antè sed ignotum patulas haud repperit aures,
Vt neque sermones alij, quos spargere tanquam

Semina te aiebant. Et erant quoque semina, verbum
Nempe Dei. Seris hoc, auget, fouet, educat ille
Qui segetis dominus puras vt in horrea messes
Colligit, infelix lolium sic mancipat igni.
At leuis in risum populus quæ verterat antè,
Cum saperet tandem, reperit se vera locutum
Tunc cum spermologon clamantes, Stoicus ille,
Hic Cynicus, scaber aut Epicuri de grege porcus,
Quærebant plausum, prensumq́; in iura trahebant.
Ad Martis scopulum, taciti delubra Senatus,
Tentantem patriis alios confundere Diuos.
More peregrini lustranti publica fortè
Visa fuit multas inter spectabilis ara
Ignoto signata Deo. Diuinitus autem
Acciderat. culpam nam declinare volenti,
Ac simul æthereum sub pectore condere Numen
Hoc caput, hic causæ placuit status. Astitit ergo
Concilio in magno, quò conuenere frequentes
Permixti hospitibus ciues, ad libera facti
Otia, & intentis animis audire parati,
Aut narrare aliquid nouitate quod arrigat aures.
Cumq́; rogaretur noua quid sibi somnia vellent,
Quidue recens Deus, atque inculta & agrestia verba,
Sic infit. Vestram pro religione sacrisq́;
Curam istam atque operam passim quam conspicor hospes
Non possum, ô ciues, non collaudare, sed ijdem
Ignoto quod me pro Numine dicere causam
Cogitis, hoc mecum quid sit disquirite. Vidi
Tot vestras inter statuas pretiosaq́; Diuûm
Signa Dei ignoti (nam sic inscribitur) aram.
Quem licet ignotum, colitis tamen. Hunc mihi notum
Conscius affirmo, venerorq́; & pronus adoro,
Qui mare, qui terras, qui cælum rexq́; paterque
Condidit, immensusq́; suo simul omnia complet
Numine, limitibus nec circumscribitur vllis.

Hic, talis tantuſq; oculos fugit, & fugit aures,
Mole carens omni, nullóque effabilis ore.
At minus in lucis habitat, vel templa frequentat
Mortali constructa manu, minus ære refertur,
Auróue, argentóue, aut ſculpto in marmore vultu.
Nil noſtræ illi opera conferre, aut munera poſſunt.
Omnia dat, nullius egens. Eſt ſanguinis auctor,
Eſt vitæ vnicuique ſuæ. nam viuimus omnes
Vno eodémque parente ſati, quem condidit ille,
Addidit & ſociam, ſponſi de viſcere ſumptam.
Vnde hominum genus, & ſæclorum læta propago,
Temporaq;, & faſti, & certis contermina regna
Limitibus, rerum mundi vt pulcherrimus ordo
Erigeret mentes, ſi quâ contingere poſſent
Inde Deum. neque enim procul eſt, ſeſe obycit vltro,
Inſpirátque animis. illius quippe, poëtæ
Veſtri etiam vt cecinere, genus ſumus. Hactenus erg
Erratum ſatis eſt, oblitáque pectora cæli
Terrenam ſatis ab fæcem fumúmque biberunt.
Vnde nec arcani valuere euoluere nomen
Numinis, haud aliter pura quàm mente tenendum.
Quod verè eſt Deus eſt, ipſum verúmque bonúmque,
Mens mundi, omnipotens. Nihil vltra inquirere fas eſt.
Hic igitur, poſtquam nunc vltima viuitur ætas,
Errantes miſerans, ac triſtia nubila pellens,
Purgari ſcelerum iubet, & meminiſſe ſupremi
Iudicij, quod erit iuſto ſub iudice Chriſto.
Quem naſci, atque mori voluit, vitæque priori
Reſtitui, æternæ vt ſuperet fiducia vitæ.
Hactenus orantem impediunt, pars fata reuelli
Poſſe negant, riſúmq; mouent, pars altera rurſus
Inquiri par eſſe putant, pars credere dictis.
Quos inter multorum inſtar Dionyſius ille,
Conſcriptis vnus de Patribus, eius & vxor
Damaris, atque alij. Medijs at Paulus Athenis

 Eua-

Euadens, bimarem festinat adire Corinthum.
Quò simulac ventum est, non celsa palatia diues
Ingreditur, quò se conferret Achaia tota,
Sed tenuem recipit tenuis sub paupere tecto
Ponticus, (Huic Aquila nomen) cum coniuge nuper
Priscilla Italia profugus quo Claudius illinc
Iudæos Cæsar discedere iusserat anno.
Hoc doluit Paulus, tantoque libentius illi
Hærebat, parili quòd vterque exercitus arte
Nauibus & castris pelles vmbrásque parabant.
Vnde illis victus, libertas ne minor esset
Si quidquam peterent, vlla ratione molesti.
Dúmque suum celebrat per singula Sabbata Iesum,
Emathijs redeunt, quos illic liquerat, aruis
Timotheus Silásque simul. Quibus auctus amicis
Acrius instabat, magno molimine adortus
Hebræos iterum, sed frustra. Hinc ferrea damnans
Pectora, detestánsque nefas, spretamq; salutem,
(Quod luerent illi se sospite) migrat ab ipsis
Ad Graiûm populos. Titus vnde, agnomine Iustus,
Præbuit hospitium, vicinus forte proseuche.
Profuit hoc Crispo, (Hebrææ cui credita sacra
Gentis erant) tinctiq; vndis simul ipse, domúsque.
Debita quæ Iusto merces, sed reddita Crispo.
Quinetiam sedes Veneris famosa Corinthus,
Lais vbi, & prauos generans mala copia mores,
Fit melior. Fauet ipse Deus, qui nocte silenti
Astitit, & Paulum verbis erexit amicis,
Ingentem spondens posita formidine messem.
Anno igitur toto, & bis ternis mensibus illic
Permansit vigilans, & Achaica regna reducens
Conatu facili, ni gens Iudæa retardet,
Et consanguineus fratrum furor. Hos tamen omnes,
Perfidia insigni permulta & sæpe querentes,
Vt si ægri veteris narrarent somnia, constans

Reppu-

Reppulit, & tantum proponere crimina iussit,
(Si qua forent) non ambages de ritibus ortas,
Quos ignorabat, res tunc pro Consule curans
Gallio. Quem versi, neque sic satis ora tenebant,
Multato coram male Sosthene, nec minus ipso
(Vt solet in turba) Paulo. Tanta ira furentum.
Ipse autem Syriam meditans, cognataque regna,
Per maris Icarij scopulos Ephesina petiuit
Mœnia, vt & tonsis votorum lege capillis
Ponticus, ac coniux, quò sic via tutior esset
Iudæos inter. quis enim crudelior hostis?
Et quanquam qui tunc aderant promittere visi
Sunt aliquid si mansisset, non longa moratus,
Res mandans socijs, dat vela ferentibus auris,
Cæsaream properans. atque illinc Antiocheam,
Dein Galatásque, Phrygésque, iterataq; sæpius arua
Per multos magnósque, at non sine fruge, labores
Interea Aegyptum linquens, atque ostia Nili,
Natus ibi, hinc Ephesum venit. doctissimus vnus
Qui fuit Isacidûm quotquot pia cura tenebat
Legiferi Mosis, nulli non notus Apollo,
Orator vehemens, sed tantum flumine puro
Tinctus Iohannis ritu. Non Spiritus illi
Additus, impositaq; manus. Hunc Ponticus ergo
Exceptum edocuit vires morémque sacrorum.
Deinde Corinthiacos cupiens peruadere fines
Commendatus abit, fratrésque affatus amicè,
Iudæas acies rumpens inuictus, ab alto
Demissum terris regem demonstrat Iesum,
Nec fas esse alium sperare, aut credere Christum.

LÆVINI TORRENTII

RERVM A D. PAVLO GESTARVM LIBER II.



IAMQVE opere exacto rediēs, Ephesūq; reuisens
Paulus, vt offendit quos lauerat auctor Apollo
Non quo par erat edoctos mysteria ritu,
Expleuit numeros, bissenáque corpora Christo
Iunxit, & abluto positis in vertice palmis,
Cælestem aspirans Auram, cælestia fudit
Dona, loqui linguis, & quæ maiora sequuta.
Quo facto illustri quis nōn vel ferrea corda
Flecti posse putet? Longo tamen atque molesto
Nil tandem effecit dignum molimine. Visum
Est igitur fidos rectósque abducere prauis,
Illos amplecti, reliquos contemnere, qui se
Negligerent ipsi, nollént que agnoscere verum,
Iudæi primum, lumen qui in lumine quærunt,
Quæqúe tenent optant. Sic spes deludit hiantes.
Hos igitur linquens Paulus, sese applicat illis.
Inq; duos labor hic tardè protenditur annos,
Seu Tyrno præbente locum, seu forte Tyranno.
Nomen enim ambiguum, res est plenissima laudis.
Quod tam conspicuum, quod tam sublime theatrum
Quam locus ille fuit qui te te Paule tot vnum
Spectandum exhibuit populis, nunc aurea dicta
Instillantem animis, nunc facta ingentia fidis
Obiectantem oculis, vt qui te cunque viderent
Præconem æternæ possent agnoscere vitæ?
Nec tantum verbis, solo aut miracula nutu
Per te facta canam. Sint hæc ingentia, posse
Sed maiora datum est. nam quamuis nescius esses,
Si quæ forte tuum tetigissent lintea corpus,
Si quæ fasciolæ, dein deferrentur ad ægros,
Attactu rediȷt vigor, & fugere dolores,

Quódque

Quódque magis mirum est, eadem medicina malignos
Exterrens Genios rabido procul expulit ore.
Nec satis hoc, patrias sed idem tentare per artes
Iudæi duo de septem Sceua patre natis,
Patre, Sacerdotum princeps qui sacra regebat,
Haud veriti, accito coleret quem Paulus Iesu,
Hæc male tentata retulerunt præmia luctæ.
Namque hostis violens obsessi voce locutus,
Et Paulum noui, nec Iesum nescio. Sed vos
Quinam estis? dixit. Nec multum deinde moratus
Proruit, infremuitque ferox, atque hospitis ora,
Ora, manúsque ambas, ac ferrea brachia sauus
Torsit in aduersos, & sic mulcauit vtrumque,
Vt laceri, ac tetros perfusi sanguine vultus
Diffugerent nudi, male ne discerperet ambos.
Fama rei tantæ totam percurrerat vrbem,
Commotisque animis, (vt erant meliora professi)
Pauli creuit amor, creuit reuerentia Christi,
Et pius inuasit mentes timor. Esse nocentes
Displicet, inquirunt sua crimina, seq; fatentur
Esse reos. Fassos absoluit rite Sacerdos,
Qui Christi vice regna tenens nunc claudit apertum,
Nunc clausum reserat cælum, culpásque remittit.
Quódque erat indicium veræ pietatis, ad vnum
Cuncta referre Deum, atque illi confidere soli,
Nec luci tenebras, fonti præferre lacunas,
Non pauci magicas edocti accingier artes,
Fatáque metiri numeris, educere sortes,
Fortunásque hominum fallaci prodere quæstu,
Aut alia simili ratione lacessere Numen,
Extra quod nihil est quo quis se iactitet amens,
Quos habuere libros, aut instrumenta dolosæ
Artis, plebeium quamuis superantia censum,
Ne permutato quoque possessore nocerent,
Abiecere palam, flammisque vrenda dedere.

Hæc Paulo adiecit Deus emolumenta laborum.
Iamque iterum Emathiam meditans, Ephyreiáque arua,
Dein Solymam, ac tandem Romanam inuisere gentem,
De comitum grege coniunctum præmisit Erasto
Timotheum, ipse Asiæ tantisper publica curans
Commoda, cum vehemens Ephesi conflata repente
Seditio est. Triuiam ciues coluere Dianam,
Nec minor hæc illic quam credita Pallas Athenis.
Testis erat templi moles operosa superbi,
Artificum decus, & magnorum opulentia regum,
His aurum argentúmque, illis monstrantibus artem.
Quod quo nobilius, tanto quoque sanctior esse
Visa Dea est, tutela Asiæ, Europámque per omnem
Culta, vel ad Gades vsque, ad Solémque cadentem.
Hinc ingens porro quæstus, tot commoda plebis,
Vndique cum celebrem fieret concursus in vrbem.
Nam refugis etiam tutum præbebat asylum.
Sed quoniam Paulus causam si forte teneret
Nec Dea, nec templum veterem seruaret honorem,
Inuenta inuidiæ via, quâ se prodere posset,
Molirique nefas. Auri argentíque metalla
Fingere in effigies solers hominúmque Deûmque,
Aut quiduis aliud mira Demetrius arte,
Arte simul linguáque valens, tunc totus in illo,
Delubra vt puro procuderet ex argento,
Pluribus huc operis & pluribus vsus amicis,
Conuocat hos aliósque, graui dein voce profatur.
Quo res nostra loco, quæ sit fortuna videtis
O socij. Fuimus populi non vltima nostri
Pars, sua dum magna constabat fama Dianæ,
Dum pietas, dum prisca fides, tot templa, tot aræ,
Tot simulacra Deûm. Quos si fabricauimus ipsi,
Pars aliqua & nobis tanti debetur honoris.
Hinc decus, hinc nomen, vitæ quoque commoda nostræ
Dependent. Sed enim templi venerabilis ista
Maiestas

Maiestas agitur, nec iam discriminis expers
Ipsa Dea est. Pro qua quis ferre extrema recuset?
Nec res difficilis. Solus quem nomine Paulum
Appellant, Tyriis (credo) fugitiuus ab oris,
Dum negat esse Deos nostra quos ponimus arte,
Nescio quos alios memorans Natúmque Patrémque,
Qui cælum, non templa colant de marmore facta,
Omnis causa mali est. Hic hic pellendus ab vrbe,
Atque Asia, ne cuncta ruant, & turpis egestas
Vos cogat non digna pati. Hanc defendite causam,
Este viri. Pudor est non propugnasse Dianam.
Talibus accensi dictis magno ore Dianam,
Dianam magno ore sonant, subitóque furentes
Concursu turba ceu propugnacula plebis
Stultitiæ inuadunt lasciui septa theatri.
Quò raptis etiam socijs, (Hic Caïus, alter
Dictus Aristarchus, Macetûm de finibus ambo)
Indoluit Paulus tamen haud deterritus vnquam
Quin sese offerret, criménque refelleret vltro.
Sed reprimunt proceres, nec quisquam suadet amicus.
At vero Hebræi, mixtum genus, omnia & ipsi
Horrebant simulacra Deûm, tamen acta ferebant
Lentius. Et quamuis Paulum quoque non satis æquis
Aspicerent oculis, Mosi non vsque fauentem,
Tutius esse rati tantos componere motus,
Submisere virum mulcendis auribus aptum,
Nomine Alexandrum. Qui cum procederet, atque
Extenta inciperet suadere silentia dextra,
Vt videre hominem seruantem Sabbata, magnam,
Magnam iterant, magnam contenta voce Dianam.
Concio clamor erat. Iamque altera fugerat hora,
Compositis tandem cum iam clamoribus astans
Vir grauis & prudens, Ephesum qui Scriba regebat,
Quænam (ait) ô ciues vos tanta exasperat ira?
Ecquis enim magnæ cultores esse Dianæ

Nos

Nos negat, aut natæ Iouis hunc detrectat honorem?
Non isti certe quos ducitis. ecquid enim vel
Infandum, vel sacrilegum, aut fecere pudendum?
Consulite in melius, famæque insistite vestræ,
Nec vos præcipites trahat inconsulta voluntas.
Si lædi sese queritur Demetrius iste,
Artificésque alij, nil vt linquatur inultum,
Sunt fora, sunt leges, est & pro Consule; fiunt
Iudicia. Accusent se, defendántque vicissim.
Quinetiam plebem si forte coire necesse est,
Impediet nemo, cœtus modo causa probetur.
At penitus nulla est. Vos testes. Seditionem
Appellent cupidi male res succedere vestras.
Dixerat, & positis siluerunt æquora ventis.
Hæc, & plura Ephesi passus fortissimus heros,
Haud aliter fulua quam si pugnasset arena
Aduersus Libycos non æqua sorte leones,
Ipse quod Aemonias, Graiásque reuisere gentes,
Dein Solymos optasset, iter non distulit vltra.
Exhortans igitur Christo quos iunxerat omnes
Orsa sequi, & fidi monitis hærere magistri,
Cum mæstis valedixisset, Macetûmq; per arua,
Per maris Aegæi scopulos, Cretámque potentem,
(Cui tunc rite Titum summo præfecit honore)
Helladáque, & Graiûm veteres venisset ad vrbes,
Ambraciósque sinus, & quâ iacet Illyris ora,
Tres ibi post actos per multa pericula menses
In Syriam recto sperans contendere cursu,
Detexit fratrum insidias hac parte locatas.
Præmissis igitur socijs hinc inde secutis,
Commutauit iter, tendens ad Thessala regna,
Donec Pharsalios pertingeret vsque Philippos.
Surgentis Christi festis vbi rite peractis,
Quinto deinde die peruectus Troada, saluos
Inuenit comites. Septem quibus ordine Soles

Indulsit.

Indulsit. Serus sed cum iam vesper adesset,
Et conuenissent modicæ ad consortia mensæ,
Post epulásque pias noctem sermone benigno
Celsior illatis traheret de more lucernis,
Eutychus auditor patulæ dum forte fenestræ
Insidet, oppressus somno, & iuuenilibus annis,
Non nimis intentus, tria per cenacula præceps
Decidit. Accurrunt mæsti, componitur, & iam
Fletur vt extinctus, cum mox descendit & ipse
Paulus, &, vt positus fuerat, superincubat. Inde
Astantes trepidare vetans, cenacula rursus
Intrat, & in primam profert solatia lucem.
At redit interea iuuenis post fata superstes.
Nec mora, nauigio comites, pedes ipse propinquam
Peruenit hinc Asson, Lesbum dein, ac Mitylenam,
Inde Chium, pulchrámque Samum, visurus amœnam
Mox Ephesum. Sed enim Sol quinquagesimus illum
Poscebat Solymis festi ob solennis honorem.
Hanc igitur præteruectus, ne longius æquo
Res illum extraherent Asiæ, Milesia venit
Litora, & huc vna quos illinc iussit adesse
Primores populi, Christi pia castra secuti.
Vtq́; aderant, verbis sic est affatus amicis.
Non alios, fratres, quam vosmet poscimus ipsos
Nostrorum testes operum. Vos scitis ab ipso
Limine quâ dites Asiæ penetrauimus oras
Quæ mala, quæ fuerint cognatæ opprobria gentis,
Insidiæq́; graues. Quas & tolerauimus æquo,
Vt par est, animo. Nec eo minus addita cura
Tum seruire Deo, tum commoda quærere vestra.
Quos omni, vt potui, studio clam sæpe palámque
Per multas etiam lacrymas gemitúsque precésque
Admonui à vobis auertere Numinis iram
Mutando vitam in melius, noxámque cauendo,
Et Christo præstare fidem. Non certior vlla est

Regula,

Regula, quæ, seruata iuuans, neglecta nocebit.
Hanc consanguineis, hanc Graijs, atque Latinis,
Dispare quantumuis successu, per mala multa
Huc vsque edocui. Solymos nunc tendere certum est.
Flagitat hoc etenim qui me præcordia subter
Spiritus intus agit. Nec quis tamen exitus illic
Me maneat noui, sed quò me cunque locorum
Pes ferat, admoneor (nec frustra, vt credere fas est)
Affligi grauiter debere, ac ferre patique
Quæ nolim, vita si non mihi carior essem
Ipse mea. quid enim demens tolerare recusem,
Dum præsto officium, testis quæ quantáque cælo
Gratia manarit nostri cultoribus æui?
Stat conferre manus, stat in hac certare palæstra,
Et breue non segnem spatium percurrere vitæ.
Interea monitos volui vos quotquot adestis,
Quotquot & huc properans adij, non amplius ora
Visuros nostra. Et quoniam nihil hactenus à me
Neglectum quo diuinum notescere possit
Consilium, si quis propriæ immemor ipse salutis
Non auscultarit, luet hanc me sospite culpam.
At vos ô gregis electi patrésque ducésque,
Quos Deus ipse suo per me præfecit ouili,
Seruatis Christi pretioso sanguine quam fas
Atque æquum est ouibus, precor ô, impendite curam.
Non ignota mihi rabies truculenta luporum.
Forsitan & vestra me iam custode remoto
Non deerit de chorte lupi qui more rapacis
Se gerat, & fastu populum seducat inani.
Sed tanto magis atque magis vigilare necesse est,
Et meminisse mei, qui iam tribus impiger annis
Noctes atque dies eadem lacrimansq́, precánsque
Admonui. Sed nunc quoniam diuellimur, ipse
(Namque potest) Deus ipse Deus vos seruet, & auctet,
Ac proprios faciat quos est largitus honores.

Hoc

Hæc precor, hoc nostro facilis concedat amori.
Non aurum, non argentum, vestémue cupiui
Cuiusquam. Victum tenuem mihi nempe meísque,
Nec plus quam satis est, (Non hoc nescitis, amici)
Hæ peperere manus. nam rebus id omnibus egi
Ne Christi causæ mea coniunxisse viderer
Commoda, neu fratrum si quisquam infirmior esset,
Hunc forte in lapidem præceps impingeret. Ergo
Hoc agite, atque animis Christi perpendite dictum,
Non tam qui accipiant quam qui dent esse beatos.
His postquam attentas penetrarat vocibus aures,
Procumbunt pariter, verbísque precantibus vsi
Dant gemitum, & lacrymis perfusi grandibus ora
Se collo iniiciunt abeuntis, & oscula iungunt,
Non alia mæsti magis (vt par credere) causa
Quam caris longum vale quod dixisset amicis,
Et sua post vnquam visuros ora negasset.
Deducunt tamen ad nauem, latumq́; per æquor
Quâ pote contentis oculis comitantur euntem,
Nec desiderio pudor, aut modus vllus acerbo.
Ipse per Icarios Zephyris dans lintea fluctus
Nauigat, & sospes Coïs allabitur oris.
Vnde Rhodum veniens, atque Astypaleïa regna,
Quæ Lyciæ est Pataram pertendit, Apollinis vrbem.
Atque ibi Sidoniam sortitus forte carinam,
A tergo Cretam linquens, Cyprumq́; sinistra,
Appulit antiquas Tyriorum saluus ad arces.
Inuentísque illic nonnullis fratribus, etsi
Terrebant ipsum Solymis, post septem ibi Soles
Exactos, tota sanctum stipante caterua,
Matronísque, virísque, & progenie simul omni,
Post vale, post gemitus, post & bona verba, precésque
Conscensa rate descendit Ptolemaida, & inde,
Alloquiô indulgens lucem non amplius vnam,
Cæsaream petiit, Syriæ caput. Omnia magna

Cæsareæ, sed enim nil tunc illustrius, & quod
Esset tam mirum quam tu diuine Philippe,
Túque domúsque tua. E septem tu fratribus vnus
Qui iuncti Stephano mensis seruire solebant,
Diuulsam misere potuisti adiungere Christo
Samariam, & magicos illic frenare furores.
Tu pater Æthiopum, tincto lustralibus vndis
Eunucho, extremum mysteria sancta per orbem
Vulgasti princeps. Dein, quod tibi contigit vni,
Te genitore satæ sunt quatuor ordine natæ,
Larga quibus culta pro virginitate fuere
Præmia, vaticino ventura edicere cantu.
Hæ tecum domitorem Asiæ Europæque pusilla
Excepere domo. Sed quæ nata inde repente
Gaudia non tantum turbabant carmine vates,
Verum etiam signis. sancta namque hospes ab vrbe
Adueniens, alio celebris quoque tempore, Agabus
Accepta Pauli zona sibi crura manúsque
Impediens, moto diuinitus hæc ait ore,
Zonæ huius dominum Solymis Iudæa ligatum
Tradet in externi ius arbitriumq́; tyranni.
His omnes mæsti monitis circum vndique amici
Diffluere in lacrymas, & dissuadere paratam
Pro se quisque viam. Magno sed pectore Paulus,
Quid mihi, quid vosmet vobis iuuat esse molestos
O fratres? Ibo Solymos, nec vincula tantum,
Sed mortem per flagra feram, per saxa, per ignes,
Dum Christo placeam. Vita mihi carior ille.
Dixit, & astantes non obluctarier ausi
Rem totam domino sic permisere volenti,
Instructique iniere viam. Deinde vrbe receptis,
Cæsarea hac tantum causa congressus, Iason
Cyprius, à multis Christi comes optimus annis,
Præbuit hospitium. Aduentum gratantur amici,

At

At memor officij Solymorum antiſtitis ædes
Paulus adit,(Frater Domini, cognomine Iuſtus
Hic erat) & dicta mox acceptáque ſalute
Conſeſſu in medio cum ſe confecta miniſtro
Narraſſet, dignáſque Deo grates ſimul omnes
Egiſſent, ne quo ceſſarent gaudia luctu
Tam bene promerito ſi quid male cederet, ipſi
Quod nollent, monuere palam diſcrimina ſi ſe
Incautus turbis immitteret, ire per vrbem
Millia multa virûm dederint qui nomina Chriſto,
Sed patrios tamen obſeruent ſuper omnia ritus.
Hos omnes illi infeſtos, quòd temnere Moſem
Haud veritus damnet præputia, damnet & illa
Quæ mos, quæ patriæ firmet longiſſimus vſus.
Seſe equidem reliquis iam nil à gentibus horum
Exigere, & normam ſancti ſeruare Senatus,
Sed tamen Iſacidis non vltra obſiſtere, ne quo
Diſſiliat male ſarta modo concordia fratrum.
Conſilio ſuadent patientem commodet aurem.
Quatuor eſſe viros qui nomina Nazaræis
Scripturi ex voto, raſi, lotique, ſacrato
Conueniant templo. Queis ſe quoque iungere curet,
Vt videant patrias ipſum non ſpernere leges.
Paruit his, quanquam vehemens diſſenſerat olim,
Atque vna ingreſſus templum, ſe expleſſe profeſſus
Cetera, permanſit dum, quod ſuperabat agendum,
Pinguia honoratas dona offerrentur ad aras.
Et prope finierat, iam portum cymba tenebat,
Cum fera tempeſtas diſiectam protinus alto
Affixit ſcopulo. nam multi ex Aſide terra
Iudæi poſtquam conſpectum ſæpius antè
Agnouere virum, ſtimulis atrocibus acti
Inuidiæ, haud aliter quam viſam per iuga ceruam
Latrantes catuli magno clamore ſequuntur,
Injciúntque manus, & , tanquam publicus eſſet

 Hoſtis,

Hostis,ad arma vocant alios, commune periclum
Communi vt pellant opera poscuntq́, iubéntque.
Auxerat offensam Trophimus, de gente profana,
Permixtus turbæ Pauli comes. Hoc quoque viso,
Nil satis est illi scelerum, nisi sancta profanet,
Conclamant omnes, vulsúmque à limine sacro
Proripiunt, claudúntq́, fores, ne fretus asylo
Se morti eripiat iam iam mactandus. At acer
Audito motu ingenti Romana Tribunus
Signa mouet, laturus opem. Stat fassa timorem
Turba minax, cohibetq́, manus. Ille aduolat, atque
Vincla parans, rogitat quem quo de crimine culpent.
Sed varius clamor fractas cum obtunderet aures,
Compedibus vinctum duci, vallóque teneri
Imperat. Incumbunt alij, trudúntque, crepántque,
Hunc hunc dede neci, subiens cum miles ab ipso
Castrorum ascensu sublimem in tuta recepit.
Tum vero astantem cum supplice voce Tribunum
Oraret fandi veniam, Num (rettulit ille)
Tu Græce nosti, Pharijs qui natus in oris
Latronum duxisse manum sicarius ipse
Diceris? At Paulus, Non sum quem dicitis (inquit)
Iudæa sed stirpe satum me Tarsus in auras
Produxit Cilicem. Nec vero ignobile nomen.
His tantum permitte loqui. Permisit. At ille
Hæbræo sermone vtens, quò gratior esset,
Attentos gradibus sic est affatus ab altis.
O mihi dilecti fratres, patrésque verendi,
Quos amo, quos veneror, quæ tanti causa tumultus?
Anne ego? Quid feci? quis quo me crimine damnat?
Forsitan externo veni procul exul ab orbe?
Isacides adsum. Non non me Barbara tellus
Extulit ignarum quid lex, quid sacra, quid ipse
Sit Deus, immensi qui rex & conditor orbis.
Quæ docuit Moses sub Gamaliele magistro,

Vt

Vt Tarsi genitus, sic hic nutritus & auctus,
A puero didici, patrij tam iuris amator
Quam proaui, quam vos, vt nec discrimina vitæ
Obstiterint quin opprimerem diuersa sequentes.
Si mihi nulla fides, norunt hæc omnia norunt
Pontifices, nouit sancti pars magna Senatus,
Auctores eorum quæ gessimus. Hactenus ista
Præfatus, quò se diuinitus esse vocatum
Monstraret, nouitásque minus suspecta maneret,
Addidit historiam rerum quæcunque Damasci
Acciderant curante Deo. Sed & inde reuersum
Iam Solymos, intra sancti penetralia templi
Intentum precibus, tanquam si corporis expers
Viueret, æthereas sublata mente per auras,
Se Christum vidisse, atque audiuisse monentem
Festinans abeat Solymis, nec se malefido
Offerat in testem populo. Cumq́; ipse vicissim
Argueret, quod quo constantior ante fuisset
Pro patria tanto testis nunc firmior esset,
Nec cito, nec leuiter tantum mutatus ab illo
Qui fuerat Stephanum saxis cum perderet atrox,
Responsum quod & antè, vt nil cunctatus abiret
Longinquas mandante Deo conquirere gentes.
Hactenus audierant placidi, sed gentibus vllis
Deferri Isacidis proprium (vt rebantur) honorem
Haud passi, cælum parili clamore fatigant,
Hunc hunc tolle, nefas cæli quem cernere lumen.
Quódque iræ signum ingentis, missiq́; pudoris,
Puluerea manibus dispersa nube per auras,
Discingunt etiam vestes, & in æthera iactant.
Non poterat nulla furor hic existere causa.
Quærere quam cuperet cum per tormenta Tribunus,
Vinctus ad hoc loris astanti Centurioni
Siccine ait Paulus Romanum cadere flagris
Indicta licitum causa? Nec plura, iubentem

Consulit. Ille venit, rogat an sit ciuis, Idipsum
Affirmat vinctus. Stupet alter, & , Haud mihi paruo
Ius (ait) hoc constat pretio. At vero mihi nullo,
Respondit Paulus. Ciuem genuere parentes.
His dictis, turbati omnes mæstíque recedunt
Lictores. Timet ipse iniecta ob vincla Tribunus.
Ne tamen ignoret cur tam furialiter instent
Iudæi, vinctum soluit, sed cogere mandat
Concilium proceres, vulgo vt procul inde remoto
Ipse reum sistens tali se fasce leuaret.
At reus intentis oculis vix pauca profari
Cœperat, ostendens quam nil sibi conscius esset,
Pontificis iussu cum de prope stantibus vnus
Percutit ora viri. Grauis illa iniuria, forti
Nec toleranda fuit. Quare commotus & ipse,
Te feriat Deus ô paries foris oblite, (dixit)
Introrsum turpis. Iudex tu lege sedebis,
Et contra legem me cædes? Succinit alter,
Et tu Principibus maledicere pessimus audes?
Tum Paulus dictum moderans, Scio legibus (inquit)
Hoc vetitum, sed Pontificem nunc esse latebat.
Profuit hoc aliquid, sed puncto temporis. Ergo
Expendens rapidum frustra se tendere contra
Torrentem insanus dum vult ratione placere,
Nec se posse aliter cernens euadere quam si
Discrepet ambiguis varians sententia votis,
Vt Sadducæos permixtos cum Pharisæis
Norat, & omne forum sectis constare duabus,
Tam bene coniunctis quam sunt Aquilonibus Austri,
Iudicij (exclamat) nostri fons & caput hoc est,
A genere & proauis cum sim Pharisæus, aperta
Quod doceam functos debere resurgere terra.
Hæc causæ summa est. Vos istam soluite litem.
At Sadducæi magno hoc clamore negabant,
Firmabant illi. Non ergo soluere litem,

Sed

Sed lites struere, & ciuilia bella mouere
Vidisses homines ad rixam & iurgia natos.
Quin aderant etiam vinctum qui absoluere vellent,
Sed vicit pars peior, & immedicabilis error,
Quo demptum Mosi qui Christo accedat honorem
Credidit insanum vulgus, vulgique magistri.
Nec modus. Adiutus, lacerum ne in frusta secarent,
Militibus Paulus saluum se in castra recepit.
His actis, nocturna quies dum recreat artus,
Afflicto sua ne deessent solatia amico,
Astitit ipse Deus, monuitque vt pergeret, æquo
Sæua ferens animo, Solymis vt sicut iniquis,
Romæ etiam spargat diuinæ encomia laudis.
Solamen miserum series tam longa laborum,
Sed forti prædulce viro. Petit aspera virtus,
Vt luctam pugil, & validus certamina miles.
Nec tamen hæc dirum constantia terruit hostem.
Conspirat bona pars hominum, & se deuouet vltro,
Ni Paulum insontem crudeles ante trucident
Quam victu reparent vires, placuitq; referre
Pontifici. Probat ille nefas, vt mane Senatum
Conuocet, &, deinceps spondens meliora, Tribunum
Oret eum sistat. sibi enim fore cetera curæ,
Scilicet incautum vt leto dent inter eundum.
Arcanum audierat iuuenis qui sanguine Paulo
Iunctus erat, caræ germanæ filius. Ergo
Insidias aperit vincto, vinctúsque Tribuno.
Hic silet, & fidis cum Centurionibus, vt se
Liberet inuidia, rem transigit. Ac mora nulla;
Impositum rhedæ Paulum, stipante frequenti
Præsidio peditum atque equitum, de nocte silenti
Egressi castris, clam se execrantibus illis,
(Non tamen hos veriti) via quâ tutissima ducunt
Antipatrim, &, peditum permissa chorte reuerti,
Per solos equites nota regione locorum

Cæsaream, præses vbi tunc Romanus agebat.
Qui simulac captum, Claudíq́ petita Tribuni
Vidit, & inductam didicit se iudice causam,
Accusatorem patrio de more requiri
Dixit, & interea fido custode tenendum
Esse reum, Herodis duci ad prætoria mandans,
Gens dura & vehemens ne quid reprendere posset.
At neque Pontifices rem protraxere, sed ante
Septima quam claro lux effulsisset Eoo,
Impulsi furiis, & amica cædibus ira,
Prompti aderant, multis illos comitantibus. Inter
Quos Tertullus erat, magna mercede coëmptus,
Orator. Paulo qui rite in iura vocato,
Composito vultu, O (inquit) clarissime Felix,
Cum per te placidi iocunda pace fruamur,
Et tua nos variis ereptos antè periclis
Nunc velut in portum prudens tutela locarit,
Seruamus memori tot tantáque munera mente,
Ac meritas agimus grates, vt semper agemus,
Et nomen laudésque tuas super astra feremus,
Sperantes similem, similis si causa, fauorem.
Ne multis igitur remorer tua tempora verbis,
Oranti faciles pietas tua commodet aures.
Hunc hominem (monstrat Paulum vt vix nomine dignum)
Non tam deferimus, (quid enim?) deprendimus ipsi
Ceu pestem ferre exitium quocumq́ locorum
Venerit. Insanis ita seditionibus vrbes
Concutit haud Syria tantum, (quæ nunc tua cura)
Sed totum sese quâ gens Iudæa per orbem
Diffundit, sectæ quæ Nazarena vocatur
Auctor, & assertor teterrimus. Insuper ausus
Ipsum etiam templum temerare nefarius. Hasce
Captiuo ob causas stabat sententia nostris
Legibus vlcisci facinus, sed Claudius illum
Eripuit Lysias, duxitque in castra, Tribunus,

Iusti-

Instituí mandans coram te Præside causam.
En præsto est reus. Accedat, crimenque refellat.
Dixerat. Assensu comites plaudúntque fremuntq́;.
At Paulus veniam nactus tempúsque loquendi,
Demissos tollens oculos, spectansq́; tribunal,
Noui (inquit) studiúmque tuum curámque gerendi
Imperij, multis qui sis Præfectus ab annis.
Integer ergo animi, ne nostra silentia culpes,
Pro me pauca loquar. Bis sex (Notissima res est)
Effluxere dies Solymam ex quo Numinis ergò
Venimus. Interea nec templi septa, nec omni
Vllus in vrbe locus, quo me hi contendere verbis
Videre, aut aliquem vulgi compellere cœtum.
Hæc mea seditio. At sectam (quocunque vocetur
Nomine) non aliam noui, nec nosse laboro,
Quam nostri quondam proaui, patrémque Deúmque
Rite meum venerans, legémque, & carmina vatum
Amplectens, speransq́; olim (Nec sequius isti,
Ni fallor) iustos simul iniustósque resumpto
Corpore quemque suo subituros iudicis ora,
Diuersa anteactæ referant vt præmia vitæ.
Hoc ago, sic doceo, ne mens mea conscia dicat,
Peccasti stultè, offendens hominésque Deumque.
Hæc vitæ ratio. Nunc quid culpatis amici?
Ascendi templum (Quid ni? Hic illius vsus)
Post annos aliquot, iam forte diutius absens.
Adueni Solymam facturus vota precésque,
Subsidiumque aliquot vitæ impensurus egenis.
Anne alibi hæc fieri poterant? Vbi turba, tumultus,
Seditio? His porro intentum me, vertice raso,
Arripiunt, vexant, crudeli voce cientes,
Hunc hunc dede neci. Dein cum me occidere vellent,
Seruauit Lysias. Asiæ nec crimina curo.
Cur absunt qui me accusant? cur vota morantur
Istorum patriæ qui me pestémque luémque

Appellant? Veniant, adsum. Te iudice nemo
Se sistet? Dicant ergo hi quid carpere possint
Hanc prater vocem, Defunctis à morte resurgent.
Hæc pro se Paulus, Felici nota. Sed ipse
Expectare iubens Lysiam, rem distulit. Arcta
Nec nimis apposita est custodia, Centurioni
Mandatum est seruare virum, non pellere amicos,
Officij causâ vellent si accedere captum.
Ipse autem Felix, aliquid cognomine, sed re
Seruus, Pallantis, cui Claudius omnia Cæsar
Indulsit, germanus erat, seruiliter vtens
Imperiis, opibúsque, illi quas gratia fratris
Attulit ingentes, clarus dum Claudius orbem
Rexit. Sed postquam parebat Roma Neroni,
Non tulit inuidiam, cui dum fortuna manebat
Nil satis. Hic igitur reginas appetere ausus
Regis Emesseni thalamum fœdauerat, inde
Abducta, quæ se titulis iactabat auorum,
Drusilla. Quæ cùm Iudæi sanguinis esset,
Agrippæ soror, atq; Agrippæ filia, regum,
Siue viri fama, seu commendante marito
Optabat Paulum de Christo audire docentem.
Paruit ille lubens, ditémque vocatus in aulam
Non aulæ ritu verba assentantia dixit,
Quæ prodesse reo, quæ molles ire per aures
Possent, & dulci lenimine flectere mentes,
Sed postquam explicuit quæ sint mysteria Christi,
Quæ spes æterni quanta & fiducia regni,
Addidit hæc credi frustra, nisi quâ pote factis
Demonstrent vere se credere. Conscius ergo
Quinam vtriusque foret vitæ modus, admonet illum
Iustitiæ, virtus qua nulla in Principe maior,
Hanc castum seruare torum, communibus vsus
Præceptis, (Sed erat proprium quod sumere possent)
Nil super inculcans magis, aut ardentius vrgens

Quam vim iudicij extremi, discrimine nullo
Æquantem populo reges, plebíque Senatum.
Horruit hæc Felix. Misero nec profuit horror.
Nam leuis abrupto Paulum sermone remisit,
Optima non aptæ spargentem semina terræ
Hirsutos inter vepres, lappásque tenaces.
Quin etiam vincto quod se simulabat amicum,
Accersens toties, non hoc virtutis amore,
Non animi factum cura, sed tetra cupido
Ambibat sibi collectum quod egentibus aurum,
Ausa etiam Paulum simili subiungere culpæ
Ipse aliena suos si intercepisset ad vsus,
Æternam fluxo spernens præ corpore mentem.
Sed breue Felicis regnum. Iam tertius annus
Cœperat infandi post tristia sceptra Neronis,
Porcius in Syriam veniens cum Festus habenas
Suscipit. Et paruo primum pro tempore mansit
Cæsareæ, hinc adijt Solymam, lætissimus vrbi
Offensæ. neque enim populus longissima laudat
Imperia, & nouitas semper delectat inanes,
Sperantes melius, cum deteriora sequantur.
Insonti necdum Felix sua vincula Paulo
Soluerat, vt tanto Iudæis carior esset.
Sed frustra. fuso nam non sine sanguine tanta
Sedari potuit rabies, inimica quieti.
Et quoniam magnos quisquis sortitur honores
Aduentu primo solet indulgentior esse,
Vt vulgo placeat, strepitumq́; & sibila vitet,
Tam bona ne nullo transirent tempora fructu,
Pontifices simul ac proceres, totúsque Senatus
Festum adeunt, blandíque rogant det vt omnibus vnum
Ducendum Solymos vinctum, hic peccasse, nec æquum
Sisti alibi, aut alio patriæ quam more teneri.
Hæc illi verbis. Aliud sed mente agitabant,
Scilicet vt ductum sine more occidere possent

Cæsa

Cæsaream. at Festus nos hunc non misimus inquit,
Repperimus missum. Res Cæsaris ante tribunal
Iam cœpta est, illic leges decidere mandant.
Ibimus, & nostra quod opus præstabimus. At vos,
Vt res vestra feret, mecum dimittite causam
Qui peragant, damnéntque reum. Sicelie, nec vltra
Distulit. octaua in Syriam nam luce reuersus,
Postridie ascendens sellam de more curulem,
Iura dedit. Stabat reus hinc, suus ipse patronus,
Illinc Iacidæ magno ad subsellia fastu,
Multis multa modis questi. Sed inania verba,
Et sine pondere erant. Leges, templúmue, Deúmue,
Aut rem Romanam sese offendisse negabat
Paulus. Et hoc ipsum cùm res & facta probarent,
Non erat inuitum Præses cur cogeret. Ergo,
Visne (inquit) Solymis coram me iudice sisti?
Ast ille, Hic actum est, hic Cæsaris esse tribunal
Nouimus. Huic asto. Si me Iudæa nocentem
Arguerit, vel morte luam. Si te quoque teste
Nil nocui, nil commerui, cur transferar insons?
Aut quis Iudæis me mancipet? Hæc mea si quem
Non vincit ratio, Romam ad te maxime Cæsar
Appello. His Festus cum nil opponere posset,
Vt decuit, cum concilio non multa locutus,
Romam (ait) appellas? Romam visure tribunal
Cæsaris accedes, atque hoc me fasce leuabis.
Iámque iter instabat, cum rex Agrippa superbus,
Atque eadem regis soror & coniux Berenice,
Cæsaream venit, Festóque est vsus amico.
Sermones varij, quos inter Paulus, & omnis
Historiæ series. Quam cum narrasset, id vnum
Me premit, (aiebat Festus) quod mittere Romam
Hunc cogor, cuius causæ qui sit status ipse
Ignoro. Appellant Asiæ pestémque luémque
Iudæi, indignum cæli qui luce fruatur.

Ast ego nec crimen video, & , si crimen in illo,
Sola superstitio est. Affirmat viuere Iesum,
Reclamant alij. Tu rem rex optime multo
Me melius nosti. Mox ille, Accepimus (inquit)
Horum aliquid fama, sed coram audire iuuabit.
Nec mora, postridie ingenti sublime tribunal
Instruitur pompa. Non inferiore paratu
Accedunt reges, proceresque & in vrbe Tribuni.
Ducitur & vinctus, conspectior omnibus vnus
Quotquot erant, splendens diuini lumine vultus.
At Præses solio simulac consedit eburno,
Ad regem vertens oculos, atque indice vinctum
Signans, En (inquit) de quo tam sæua loquuntur,
Nec tamen admisit quidquam quod morte luendum.
Cæsaris implorauit opem. Mittendus ad Vrbem,
Nec domino quid rescribam mihi constat, amici.
Vos qui in concilio, & tu rex Agrippa benigne
Consulite, & propius (precor) ô disquirite factum,
Ne cui me affinem culpæ mala fama loquatur.
His dictis, placido stantem rex lumine Paulum
Aspiciens, Fas est pro te tibi dicere quidquid
Tute voles, ait. Et non longa silentia, dextram
Leniter extendens cum voce hæc protulit ille.
Multa quidem (fateor) sunt ô rex crimina nostri
Quæ consanguinei grauiter sine fine modóque
Obijciunt licet insonti, natum inde dolorem
Sed leuat, vt tristi pro conditione reorum
Censeri possim felix dicíque beatus,
Te coram quod contigerit defendere causam.
Tu gentis nostræ mores, tu iura sacrorum,
Tu nodos etiam legúmque ænigmata nosti.
Confidens igitur, te tantum Agrippa precabor
Vt tua mi pietas patientem præbeat aurem.
Non ita me gessi, aut talem genuere parentes,
Vt qui sim, fuerimue, aut qua de stirpe tribúque

Igno-

Ignorent homines. Testes ducantur ab annis
Non ita qui multis Solymæ vixere, rogati
(Si pudor est) dicent omnes me vera locutum.
Sum genere Isacides, nec tantum nomine, sed re
Talis, & à proauis sectamq; scholámque secutus
Quæ Pharisæorum est, & præstantissima, credens
Ob spem quæ patribus facta est diuinitus olim
Extinctis animas reddi debere perennes
Corporibus cum summa dies euerterit orbem.
Hæc me spes recreat firmátque, in vincula quamuis
Induerit stantem sub iudice. Sed neque solus
Hanc foueo. Quanta est bissenis didita quondam
Stirpibus hæc omnis longe gratissima cælo
Natio, non alio assiduos fert fine labores
Quam spe cernendi rediuiuæ præmia vitæ.
Et tamen hoc solo me accusant nomine. Sed quid?
Anne etiam damnant? fieri vel posse negabit
Vestrûm aliquis functos rursum vt Deus excitet ipse
Ipse Deus, qui de nihilo cælum omne creauit?
Quod vero obiectant etiam mihi nomen Iesu,
Quem colo, quem veneror, nulla hic iniuria gentis,
Nominis aut nostri. Nihil his detractat Iesus,
Sed firmat complétque, & non sine Numine factum
Vt causam prius inuisam nunc prosequar atque
Defendam. Ingenti quondam succensus amore
Tam legum patriæ, quam relligionis auitæ,
Dum visus fuit his Christus contrarius ire
Odi & eum, totúmque gregem, quem ceu lupus acer
Pontificum iussu, toto censente Senatu
Disieci, rapui, sanctos è carcere diro
Supplicio adduxi, quosdam desistere cœptis,
Impiáque in cælum profundere verba coëgi.
Nec tantum Solymis, alias quoque sæpe per vrbes,
Per vicos, per conuentus, quocunque ferebar,
Grassando nocui. Tandem sed forte Damascum

Cum

Cum socijs medio dum Sol nitet altus Olympo
Accedens, vidi me circum effulgere lumen
Splendore eximio, Solem quod vinceret. Inde
Stratus humo, comitésque simul, descendere cælo
Audiui Hebræo vocem sermone tonantem,
Saule quid insequeris me Saule, & calce retundis
Vrgentem stimulum? Durum hoc tibi. Cúmque rogarem,
Quisnam ergo es Domine? hoc responso dignor, Iesus
Sum Nazarenus, cum quo committeris impar.
Mox etiam vt surgam iubet, &, quæ visa recordans,
Diuini testis verbi, fidúsque minister
Per gentes populósque feram noua iussa, fugatis
Restituámque diem tenebris, ac lumina cæcis,
Atque olim Stygio addictos seruire tyranno
Eripiam, reddamque Deo, qui crimina soluens
Credentum æternos illis impertit honores.
Hæc ego tunc, & plura alio quoque tempore vidi,
Quæ me confirment. nām sunt diuinitus acta.
Atque adeo cedens monitis, Agrippa, Damasci
Primum, dein Solymis, vicinísque vrbibus, inde
Per gentes alias mysteria sancta profanis
Ostendi, docuique Deum cognoscere, & ante
Pertæsos scelerum meliori incumbere vitæ.
Hæc in me culpant alij, templóque repertum
Prendere non veriti, voluere occidere. Sed me
Huc vsque incolumen seruat Deus, illius vt sim
Assertor doctrinæ. Vtinam & persuasor abirem.
Nil certe affirmo sacro quin carmine Moses,
Et vates testentur idem narréntque futurum
De Christo. Qui multa pati, mortémque subire
Debuit, inq; nouam princeps exurgere vitam,
Et totum populis lucem præferre per orbem.
Talia dicentem, & certa ratione probantem
Nil sese aduorsum leges ac iura docere
Occupat exclamans rudis ad mysteria Festus,

Sed tamen admirans eadem, Nimium sapiendo
O Paule insanis, nocuit nimis esse peritum.
Cui contrà Paulus, Non hæc insania, Fĕste,
Aut furor est, sed vera loquor, sed sobria verba.
Ipse horum rex testis erit, cum quo mihi sermo.
Nil etenim ignorat, nil clam, nil noctibus actum,
Luce sed in media. Credísne, Agrippa, prophetis?
Credis, nec dubito. Neque rex hoc voce negabat,
(Quî pote?) at inciso Pauli enthymemate, quo se
Constringi sensit, nec posse exoluere nodum,
Parte aliqua suades (inquit) dem nomina Christo.
Opto equidem, excepit Paulus, quocunque modo sit,
Sed totum mallem te rex, & quotquot adestis
Esse mei similes, hac tantum compede dempta.
Hæc ille. Atque vtinam licuisset plura profari.
Sed teneræ nimium sunt regibus atque tetrarchis,
Et solis patulas dant se palpantibus aures.
Consurgunt igitur pariter, secretáque poscunt.
Atque ibi concilio placuit sententia regis,
Nil vinclis, aut morte reum patrasse piandum,
Et solui potuisse, nisi appellasset ad Vrbem.
Ilicet Ausonias procul ablegandus ad oras
Traditur Augustæ legionis Centurioni,
Nomen honoratum cui Julius. Ille receptum
Cum vinctis aliis naui committit in altum
Adrumetinæ, quam miserat Africa tellus,
Sed rediens Asiæ ditis vicina petebat
Oppida, nec ventis, nec fluctibus vsa secundis.
Prima quies Sidone fuit. Permittitur ire
Paulus, Aristarchum comitémque adducere secum,
(Thessalonicea ciuem quem diximus vrbis)
Inuisens latos, vt se recrearet, amicos.
Inde Cypri non sponte sua, impellentibus auris,
Adnabant scopulis, veriti se credere ponto,
Ac tandem Cilicum præter, Pamphyláque vecti

Lito-

Litora Apollineæ tenuerunt mœnia Myræ.
Inuentaq; illic Pharia de gente carina
Hesperias peteret multo quæ firmior vrbes,
Transpositi, non longa licet sint æquora, longo
Temporis in spatio post tædia longa venustam
Peruenere Gnidum, vastumq; intrare profundum
Non ausi antiqua lambunt latera abdita Cretæ,
Summonium primo sæuis quâ tunditur Euris,
Nec procul hinc Portum veteri cognomine pulchrum.
Cui vicina iacet non prætereunda Lasæa.
Hic animaduertens Paulus discrimine quanto
Quam paruum constaret iter, vectoribus auctor
Extitit vt, quoniam late maria omnia circum
Contristabat hiems, nec tantum mercibus inde,
Sed naui, atque ipsis instabant vltima nautis,
Æquo essent animo, defessaq; corpora dulci
Nutrirent reparata cibo dum mollior æther
Vela daret ventis, pontumq; recluderet annus.
At non & nautis eadem sententia sedit.
Queîs magis attentas præbebat Iulius aures,
Phœnicem sperans se posse appellere portum,
Atque vrbem pariter, victus vbi copia maior,
Et statio hibernos contra fidissima fluctus.
(Nam pelagus tenuere Noti) Hinc fiducia maior.
Verum vbi soluentes Asso vlteriora legebant
Litora, nimbosis sese obiectantia Coris,
Horribili incubuit sonitu Boream inter & Eurum
Quem nautæ Typhona vocant, raptosq; procellis
Distulit in Clauden, (Cretæi hæc insula ponti est)
Vix spatium indulgens scapha quo seruata maneret.
Qua tandem sublata, iniectis funibus arctam
Astrinxere ratem, ne Syrti illisa periret.
Nam prope Syrtis erat, Syrtim vnda auraq; ferebant.
Tam misere tota iactati nocte, coorto
Mane suas auido res obiecere profundo.

Nec satis, armamenta etiam sparsere per vndas
Nautica, non aliter miles quam turbidus arma,
Cum furit, atque in quem moueat non inuenit hostem.
Iam plures sine Sole dies, sine sidere noctes
Transierant, miserosq; fames tabesq; premebat,
Cum Paulus rursum, Nunc cernitis (inquit) amici
Quam male Dictæis nuper discessimus aruis.
Cessasset iactura omnis, mærorque, laborque.
Sed tamen exhortor non desperare, peribit
Nemo, nec ambiguæ feret vlla incommoda vitæ.
Sola ratis plectenda. Deus sic ipse silenti
Me nocte admonuit cuius vulganda per orbem
Iussa fero, ætherium vidi, audiuique per vmbras
Dicentem iuuenem, Romam ibis Paule, (timorem
Excute) Cæsareum cernes illæse tribunal.
Quinetiam tecum vecti tua munera sunto.
Atque bis indubitare nefas. Deponite curas:
Non Syrtes Libycæ, alterius iacet insula ponti,
Expositos quæ suscipiet, fessosq; leuabit.
Bis septem elapsa deserto a litore luces,
Ionio magno quâ proximus Hadria feruet,
Cum noctis medio terram sibi cernere visi
Sollicitî nautæ, misso tumida æquora subter
Funiculo ancipites explorauere profundum.
Cumq; iterum id facerent, spatia & breuiora referrent
Quam prius, in scopulos veriti ne impelleret æstus,
Quadruplici morsu fundasset vbi ancora puppim,
Auroram optabant taciti. Sed enim fuga fessis
(Infidum vt genus est) placuit magis. Ancora quassam
Fundabat puppim, proræ quoque debita cura.
Cui totos sese intentos finxere, scaphámque
Demisere mari, qua soli euadere possent.
Sed necdum egressis vigilans ad singula fraudem
Senserat hanc Paulus, retulitq; ad Centurionem
Quantum præsidij in sociis naualibus esset,

Queis

Queis sine vectores seruari posse negabat.
Ille secat funem, pelago scapha fluctuat alto.
Iamq́; dies primo lucescere cœperat ortu,
Cum tam longa pius miserans ieiunia Paulus
Vt victu reparent vires hortatur, &, æquo
Sint orans animo certos iubet ire salutis.
Firmat & exemplo, grates laudesq́; datori
Ritè canens positis epulis & vescitur ipse,
Inuitátq; alios. Placuit pietásq;, fidésq;,
Vescuntur pariter. Redit in præcordia sanguis.
Vidisses numero (octonos ter deme) trecentos
Iam saturos instare operi. Frumenta, penumque,
Et quidquid reliquum iactant, perduntq́; volentes.
Sed quam crediderant terram, iam Sole retecta,
Non tam terra fuit, sedesq́; habitata colonis,
Quam sinus atque ignota palus, pro litore curua
Obiectans latera. Huc illi conuertere cursum
Intenti satagunt omnes, retinacula soluunt,
Veláq; dant, non tota tamen, quâ ventus agebat.
Ipse gubernaclo rector subit, arctaque laxat
Vincula, liberior partes vt flectat in omnes,
Sed frustra. Bimari scopulis impacta sub isthmo
Hæsit, & à media diuulsa est prora carina.
Naufragium graue, sed grauius quòd perdere miles
Captiuos voluit ferro, ne euadere quisquam
Posset, & inuidiam castos crimenq́; subiret.
Sed Paulum cupiens saluum Dux restitit acer,
Qua pote quemque suam mandauit curare salutem,
Hos nando, hos tabulis, lacera aut per fragmina nauis.
Parent, atque vna læti potiuntur arena,
Incolumes magni precibusq́; & munere Pauli.
Optata at postquam fuerant tellure recepti,
Scitari placuit Geniumq́; situmq́; locorum.
Insula erat Melite, Siculo porrecta profundo
Quâ tumidi aduersos fluctus tolluntur in Afros,

Hoc tunc naufragio fęlix. Manet inclita facti
Gloria, cum Paulo occurrens gens Barbara, tantum
Admirata virum, didicit miserescere, & eius,
Et comitum sale tabentes dum recreat artus,
Frigoraq́, & pluuias structis fugat ignibus auras.
Arida quò Paulo sarmenta ferente, calorem
Sensit in his latitans, dextramq́, momordit inhærens
Vipera. Quo facto, rudis inconsultaq́ turba
Turgida lapsurum credens in pectora virus,
Inuisum dixit Superis, homicida quod esset,
Quem saluum ex vndis letali bestia morsu
Perderet, impune vt nequeunt peccare nocentes.
Sed flammis illam cum mergeret integer ipse,
Nil satis in laudes. Heroa Deumq́ vocabant,
Quem vis funesti non tangeret atra veneni.
Vsqueadeo semper varium & mutabile vulgus
Ducitur ancipiti quò fert Fortuna tumultu.
Nec Paulum tamen ista mouent, popularia temnit,
Spes cui firma Deus, nec eo sine cetera curæ.
Forte loci princeps ibi prædia diues habebat
Publius, & triduo miseros potúq́ cibóque
Fouerat. Hic factum diuinitus vt pater eius
Febribus, & diris vitæ discrimen adiret
Torminibus. Casum lugebat filius hospes.
Sed pretium hospitij soluens, precibúsque manúque
Imposita fugiens moribundo reddidit æuum
Paulus, & æterno sibi vtrumque adiunxit amore,
Ac sacros docuit ritus, vitamq́ beatam.
Fama rei tectis reliquos exciuerat agros,
Quos eadem, quamuis varios, medicina leuauit.
Vnde honor auctori, sociisq́ viatica latis.
Iámque illos aliò calúmq́ auræq́ vocabant,
Cum Phariis opportune quæ venerat oris
Nauis, cui titulus gemino cum Castore Pollux,
Vere nouo Italiam properans, suscepit & ipsos.

Preinde

Proinde Syracusas ventis venere secundis.
Tresq́ ibi cunctati luces spumantia præter
Litora, quâ Siculum Hesperio latus abscidit vnda,
Rheginum ad portum. Parua hic mora, flantibus Austris.
Namq́ Dicarchæas lux altera duxit ad arces.
Inuentisq́ aliquot dederant qui nomina Christo
Fratribus, ex illo iam tunc ibi tempore noto
Quo princeps Petrus cæli fulgentia signa
Intulit in Latium, late loca Numine complens,
His septem indulsit Paulus per mutua Soles
Gaudia. Dein Romam petiit. Præcesserat vt iam
Fama viri, occurrunt plures, pars vsque Forum Appi
Pars ad Aricinum collem, Tresq́ inde tabernas.
Quos ille aspiciens grates agit, & noua regna
Agnoscens, fidensq́ animi, peruenit ad Vrbem.
Hic vinctos alios castra ad prætoria duxit
Centurio, ast vno tantum custode retentus
Paulus, ad arbitrium lectis sociisq́ domoq́,
Captiuus tamen, iniecta per crura catena.
Opprobrio quam ne vertant, credantq́ nocentem
Primores vocat Isacidûm, dein talia fatur.
Quod Romam missus Solymis hæc vincula gesto,
Non sceleri, ô fratres, culpæue ascribitur vlli.
Seruantem leges patriæ, moresq́ parentum,
Vt sontem tamen haud veriti sunt prendere nostri
Me consanguinei, & Romanis tradere prensum.
Qui licet immunem cuperent dimittere, nullum
Ob facinus vel supplicio, vel carcere dignum,
Obstiterunt illi, ac tandem effecere molesti
Cæsaris vt peterem me sistier ante tribunal.
Sic factum. Nec defugio, defendere causam,
Non inferre pedem, non accusare paratus.
Crimen abest, res hoc in cardine vertitur omnis,
De Duce venturo spem factam patribus olim
Quod firmans, venisse aio, atque oracula vatum

Complesse. Hæc gentis certa est fiducia nostræ,
Quam propter iuuat hanc vinctum me ferre catenam,
Sperantem æternæ post hac noua gaudia vitæ.
Dixerat, & contra sic respondere vocati.
Nil ad nos scriptum Solymis, neque nuncius vllus
Adfuit aduorsum qui te tractata referret.
Quod superest, vltro cupimus spectare loquentem,
Quas spes, quem doceas Christum, quo cœpta magistro
Secta patet quantis sit vbique exercita rixis.
Dicta placent, nec res trahitur, datur hora locusq́.
Conueniunt. Sedet ille, & primo lucis ab ortu
Lucis ad occasum nunc sacra volumina Mosis,
Nunc veterum recitans diuina oracula vatum,
Deducit cælo regem qui secula fundet
Aurea, qui monitis animos cælestibus aptet,
Condat & æternum sine vi, sine milite regnum,
Hunc esse ostendens, quem testabatur, Iesum.
Sed non tam dociles quam par erat inuenit aures.
Credebant pauci, plures asserta negabant,
Diuisi studiis sua quemq; vt vota trahebant.
Ipse eadem expertus toties perq; Asia regna,
Et Graiûm populos quascunque accesserat vrbes,
Tunc tamen indoluit grauius, quanto acrius illum
Punxit amor patriæ, & Romæ simul ardor habendæ,
Cui laudi obstabat gens inuida, sæua, maligna,
Gens oblita suæ, atque alienæ inimica quietis.
Esaiæ verbis igitur fera pectora culpans,
Cælestem ad vocem surdis, ad lumina cæcis
Numinis offensi instantem denunciat iram,
Externis verò spem gentibus atque salutem.
His actis, abeunt alij, manet ipse locato
Tutus in hospitio, dum se bis verteret annus,
Nemine turbante, aut sanctum impediente laborem,
Æterni præco regni, vitæq́ beatæ.
Romani clauum Imperij fax orbis habebat

Tunc

Tunc Nero, sed necdum turpissimus, ante necatas
Cum matre vxores, cum præceptore parentem
Virtutum Thraseam. Nondum sua fata gemebat
Mœsta sub auriga, & citharœdo Principe Roma,
Sed mitem simulabat atrox, placidumq́; cruentus,
Impius, immanis iustum sanctumq́; bonumq́;.
Profuit hoc Paulo. neque enim custodia capto
Dura nimis, tandemq́; etiam permissus abire
Quò vellet, rabido ceu præda elapsa leoni.
Verùm vbi per plures abiens permanserit annos
Incertum est. Poterat tanto non vna beari
Aduentante viro prouincia, siue cadentem
Ad Solem (vt proaui voluere) Hispania diues,
Seu latus Illyriæ, repetitaq́; Græcia, & inde
Quidquid ad Auroram lustrauerat antè rubentem.
Ecquid enim, tantus quod non penetrauerit ardor?
Sed postquam ventum ad summum, nil turpe Neroni,
Non ipsam flammis vastare hostilibus Vrbem,
Quas meruitq́; nocens insontibus addere pœnas;
(Vnde in Christiadas tantus furor) ah modo natum
Perdere ne posset feritas tam Barbara nomen,
(Præcipuè magicis cum pectora versa susurris
Tunc iterum quateret Simon, supremaq́; fata
Instarent Solymis, illam cingentibus armis
Romulidûm, & penitus delere parantibus vrbem)
Eximia virtute Duces, hic Solis ab ortu,
Alter ab occasu, diuinitus agmine iuncto
Auxilio venere suis. Non ira Neronis,
Non contrà valuere doli impostoris & artes.
Quem cum Dædaleo malus in sublime volatu
Raptaret Genius, populusq́; immane fremendo
Crederet esse Deum, Petri prece ab aëre tractus
Decidit, & saxo perfregit crura cruento.
Non tulit hoc Cæsar, Magicen quo vanior, esset,
Hoc studio maiore colens, vmbrasq́; lacessens,

At verum fugiens. Sed nec te Paule ferebat
Infestum vitiis, rigida virtutis alumnum,
Quam non sis veritus laudare, & ferre per ora
Principis insani. Qui nil moderabile cernens,
Coniunctos animis vt mors quoque iungeret ipsa,
Tadia post longasq; moras plagasq; nefandas
Hunc gladio feriens, illum saua in cruce figens,
Vno eodemq; die vita spoliauit vtrumque,
Felices, miser ipse miser, quem iusta manebant
Viuentem ac functum pro tot, tam immanibus ausis
Supplicia, atque omni testatum dedecus auo.
At vos atherei proceres, faustissima celi
Sidera in hoc pelagi non eluctabilis astu,
(Per quos Roma potens celso caput aquat Olympo,
Iuraq; dat populis, & relligionis auita
Vincula perpetuo nectit coëuntia nodo,
Aduersus Stygij flammantia tela tyranni
Tuta magis circum quam si illam adamantina cingant
Mœnia) quò pietas, quò vis impellit amoris,
Commissum vestra Christo sub Principe cura
Romanum seruate gregem, seruate magistros,
Hunc primum, inde aliis qui praficientur in annis,
Dum simul vno omnes circumuallemur ouili.

LÆVINI

LÆVINI TORRENTII DE BELLO TVRCICO

AD M. ANTONIVM BOBBAM, CARDINALEM, LIBER.



VM grauis Ætolos per florea rura colonos
Neglectæ (vt perhibent) affligeret ira Dianæ,
Terribili immisso siluis horrentibus apro,
Qui flauas latè segetes, herbasq; virentes,
Palladiasq; oleas, & Bacchi munera vites
Indomito sæuus rostro afflatuq; tremendo
Erueret, diramq; famem pestemq; moueret,
Quamuis tunc Calydon fortem Meleagron habebat,
Nec tantis opus auxiliis quibus vna periret
Bellua, & insidiis & duro obnoxia ferro,
Accurrit tamen Argiûum delecta iuuentus
Æternæ ingenti succensa cupidine laudis,
Si quâ forte malum patriis auferre daretur
Finibus, & tutis concredere semina campis,
Grandiaq; assuetas stipare per horrea messes.
Sic etiam Æmonio stabat cum litore puppis
Prima peregrinas visura per æquora terras,
Æsoniden quanquam fato Phryxea manebant
Vellera peruigili primùm rapienda Draconi,
Non ideo numero minus accessere frequenti,
Nec veriti summis socios se adiungere rebus
Præstantes Minyæ, tot Achææ robora pubis,
Parte aliqua insignem cupidi contingere palmam.
Nam priscis solenne viris quos læta tulerunt
Sæcula cælesti genitos à semine Diuûm,
Perfidiam vlcisci scelerum, portenta domare,
Parcere non vlli præclara ob facta labori,
Nec tantum titulis quantum virtute præire,
Scilicet vt dulcem meritis extendere famam

Possent, & patrio tandem succedere cælo.
Hinc gemini, quorum felicia sidera nautis,
Tyndaridæ, hinc Nysæ descendens vertice Iacchus,
Et qui semiuirum per Dædala tecta iuuencum
Extendit victor Theseus, hinc gloria vatum
Alcides, cuius notum super æthera nomen
Aoniæ æterno sacrarunt carmine Musæ.
Quid tamen aut apros, aut vasto corpore tauros,
Aeripedem aut ceruum fulgentem cornibus aureis,
Quid Nemeæ horrendum gelida sub rupe leonem,
Aut Lernæ obscœnis strauisse paludibus Hydram,
Tot tumidam collis, & tot rabida ora mouentem,
Ora semel præcisa modis crescentia miris,
Humano tantum generi (si vera fatemur)
Profuit? Angustis conclusæ finibus illæ
Delituere feræ, stragem nisi læsa nec vllam
Ira dedit. Redeant licet, & glomerentur in vnum
Omnia quæ Graiis narrantur mille Camenis
Heroum cecidisse manu tellure, vel vndis
Prodigia, Infernos etiam terrentia Manes,
Non ideo egregias bello vastarier vrbes,
Excindi ferro muros, sedesq́; sacratas
Euerti flammis, manare aut sanguine riuos,
Fœdaq́; captiuas raptari ad stupra puellas
Aspiciet quæcunque erit illætabilis ætas,
Sed melior nostra. nam quid non antè malorum
Perpessi sumus ab miseri? At peiora supersunt,
Si non consiliis, si non communibus armis
In ferrum summis adnixi viribus omnes
Pro natis, pro coniugibus, carisq́; propinquis,
Et patria, & dulci pro libertate ruamus.
Nec verò verbis opus irritare dolorem,
Atque animo stimulos vel subdere calcar honesto.
Non ignota queror, nec quæ vaga fama per orbem
Sparserit incertis implens rumoribus aures,

Sed fidis subiecta oculis. nam cernimus eheu
Cernimus Ismarij seruantem claustra profundi,
Quà ferus obstructis immugit Bospo..o vndis,
Europamq́; Asiamq́; breuis disterminat æstus,
Funestis sæuum imperiis armisq́; tyrannum
(Quo nullum in terris magis execrabile monstrum)
Non medio quosdam è populo per sæua necantem
Tormenta, vt Siculis olim qui sceptra tenebant
Finibus, ast ipsos cogentem in prælia reges
Nunc hos, nunc illos, suasit quos dira libido
Fœderibus ruptis, non more, aut legibus vllis,
Audaci superare manu, semperq́; recentes
Ducere non iusto partos sibi Marte triumphos,
At gemere atque infanda pati ludibria victos.
Et cessamus adhuc, neque nos exempla mouebunt
Prisca virûm? Claris sunt nunc quoque præmia factis,
Virtutemq́; rependit honos. Quem morte pacisci
Quis dubitet qui se mortali sorte creatum
Cogitat, atque aliam sperat post funera vitam?
Quod si nec virtus, nec honos, nec gloria segnes
Excitat, at somnum tam sæua incendia rumpant,
Iam nostros raptura Lares dum sumere vires
Vulcanum, & flamma patimur vastare sequaci
Proxima quæque. Suo quæ si defensa fuissent
Auxilio, obiecta poterat tunc mole teneri
Qui nunc immensis spaciis per saxa, per vndas
Fertur, & excussis exultat victor habenis,
Oppida tot starent, populiq́; & regna manerent,
Iusta peregrino feruerent bella sub axe,
Nec verò hunc nostrum quateret Mars impius orbem,
Nostra nec ad tales venissent sæcula luctus.
Nam modò qui tantis opibus consurgit in astra
Turca ferox, adeò & mortalia despicit arma
Improbus, vt magnis ausit concurrere Diuis,
Quorum nec cultu, nec numine tangitur vllo,

Cum primùm egressus siluis & montibus altis
Florentes Asiæ campos vrbesq́; petiuit
Maümetis noua scita ferens mentitaq́; sacra,
Si nostris iam tum proauis mens vlla fuisset,
Si quis amor patriæ, si qua in commune voluntas,
Conatu non difficili, discrimine nullo
Infandam extinxent ipso cum nomine gentem.
Quæ molles inter populos impune vagata,
Mæandri quos vnda rigat, quos vnda Caystri,
Pactolusq́; fluens auro, nec parcior Hermus,
Xanthusq́;, & Simois, magnæ notissima Troiæ
Flumina, iam toties duris exercita fatis,
Vt tandem ad rapidum peruenerat Hellespontum,
Bithynosq́; obsedit agros, opulentaq́; regna,
Tunc quoque quis terra, aut crudo de robore natos
(Vsqueadeo obscura ducunt primordia fama)
Tot grauidam imperiis, opibusq́; armisq́; potentem
Crederet ausuros infesto inuadere bello
Europam? Inuasere tamen. Discordia tetra,
Qualis & hoc nostro furit implacabilis æuo,
Quæ Romana graui conuellere sacra per orbem
Dissidio, & forti Latio disiungere Graios,
Et potuit Graios ciuili accingere ferro,
Strauit iter, ventisq́; impleuit vela secundis,
Et dedit optata tutos consistere arena.
Ex illo iratis cœperunt omnia Diuis
In peius ruere, & magno labefacta tumultu
Funditus ingentem trahere inclinata ruinam.
Ipse cruentato vectus per cærula curru
Mars pater, Ismariis violens qui præsidet aruis,
Et rigidam lustrat Rhodopen, Aemumq́; niualem,
Horrida mortifera vibrans hastilia dextra,
Imbellem exosus luxum fœdamq́; suorum
Desidiam hostilem duxit trans æquora classem.
Nec Bellona nouæ comitem se adiungere genti

Erubuit, cui sola fides, cui Numen in armis,
Et semper cædes, semper sunt prœlia curæ.
Threïciis igitur transmissi finibus, vt iam
Dira sub Arctoo feritas accreuerat axe,
Tam quibus auxilium quàm quos contra arma ferebant,
Ceu lupus aduersis luctantes cornibus hædos,
Proruerunt pariter, nec passi exurgere victos.
Atque ita perfidiæ merces quâ prospicit æquor
Aduersis pulsata Notis, quâ surgit ad Arcton,
Et petit Occasus, & Eoos tendit ad Euros
Thraca ferox, auidis cesserunt omnia Turcis.
Sola superfuerat regnis exuta propinquis
Vrbs tanti caput imperij, tot feta triumphis,
Et mæstos tellure oculos demissa tenebat,
Ardua ceu duris detonsâ securibus ilex,
Quæ prius vmbroso consurgens vertice in auras,
Et siluæ decus, & teneris gratissima Nymphis,
Nunc scabro informis trunco, nec amabilis vlli,
Luget, & inuisum rursus timet anxia ferrum,
Funereis arsura rogis, arsura caminis.
Sed tamen ipsa sua stans vi nec tempore paruo,
Nec paruis opibus potuit conuulsa moueri.
At lassata malis, dum terra obsessa mariq́;
Clauditur, assiduos vltrà non pertulit ictus.
Post tantas igitur strages & mæsta suorum
Funera, dum nulli cura est succurrere fessis,
Arx illa imperij veteris, non altera tantum
Roma, sed & Romæ quondam post busta superstes,
Quæ salua Europe poterat quoque salua videri,
Deserta, indefensa, & cur non prodita; tandem
Concidit, & magnum sonitu perterruit orbem.
Nec verò accensum passus languescere Martem
Victor ouans, Macedûm populos, regnataq́; magno
Arua duci, Bactris qui formidatus & Indis
Optabat nasci plures quos vinceret orbes,

Occu-

Occupat, atque eodem cursu mox Thessala vastat
Rura, nec Æacidæ nutrici parcit Achillis,
Nec timet infames Latia bis clade Philippos,
Aut sæuos horret Lapithas, gentemq; biformem
Centauros, Dolopesq;, & duri Martis alumnos
Myrmidones. Cedunt ferro Peneia Tempe,
Tempe quæ Elysiis poterant contendere campis,
Sperchiusq;, & gramineis latissima ripis
Flumina frondosas inter labentia siluas.
Cedit & Euenus, potat quem pinguis Acarnan,
Et pota Ætolis cedunt Acheloides vndæ.
Vincitur Epeirus, nec tuta est Illyris ora.
Cuncta quidem magnis iam pridem impulsa procellis,
Cum nihil intactum, nil linqueret asper inausum
Barbarus infesto tentans fortissima ferro
(Sed tamen aduersos nonnunquam pertulit ictus,
Nunc Venetûm expertus vires, nunc quantus in armis
Sarmata, & aratam quatiens grauis Hungarus hastam)
Sed Byzantina postquam consederat arce
Imperij rapiens fasces nomenq; superbum,
Non instar prædonis & huc grassatur & illuc,
Sed sua iam nunc esse ratus terraq; mariq;
Omnia quâ magnum lustrat Sol aureus orbem,
Italiam primùm, Italiam sibi poscere demens
Destinat, & magnæ penetrare palatia Romæ.
Nec via difficilis portus si classe teneret
Chaonios, breuis vnde Italas fert cursus ad oras.
Huc igitur magna contendens mole ruebat
Fulmen vti, aut atro collectus turbine ventus.
Exortus sed enim terris nouus vltor Achilles,
Qui nullo minor Æacidûm tunc forte Molossis
Imperitans, Pyrrhi veteris certissimus heres,
Non tantum patriis arcebat finibus hostem,
Sed victum toties adeò perterruit, vt, si
Talem Parca virum plures seruasset in annos,

Viuida vel virtus sociis adiuta fuisset
Auxiliis, vltra Tanaim gelidosq́; fugasset
Sauromatas, quem nunc patimur tot fœda patrantem
Flagitia, & dum iura negat sibi nata suisq́;,
Miscentem rabido fanda atque infanda furore.
Ille sed ante diem fatis concessit iniquis,
Rumpere nec nostros queat vlla iniuria somnos.
Sic victa Epeirus, cæso velut Hectore Troia,
Sic victi Illyrij, victi cessere Liburni.
Nec mora, peruolitant celeres vada salsa carinæ,
Lætus & Ausonia potitur ferus hospes arena.
Cunctaq́; se vicisse putans, quà certa patebat
Iam via, congestis spoliis prædaq́; recenti,
Ac bene munita quam vi modò ceperat vrbe,
Nauigat, & quò tuta magis ferat æquore classis,
Quâ maris Ionij tolluntur ad æthera fluctus,
Leucatam expugnat, mox & tua Cephale regna.
Neritos hinc, nemorumq́ue iugis perit alta Zacynthos,
Et quid non aliud? Sed quis mihi Græcia dignis
Deploret tua fata modis? quis tristia dicat
Funera, & exhaustos aduerso Marte labores?
Non ego fœdatis cæsorum sanguine campis
Tot fortes cecidisse viros hostilibus armis
Conqueror, (Haud dubiæ debentur corpora morti,
Quam qui pro patria subiit post busta superstes
Viuit, & æternum famam transfundit in æuum)
Tot verò ingentes versas à sedibus vrbes,
Tot moles tantorum operum, tot templa, tot aras,
Quis non indignis animis ferat? Edere versu
Singula difficile est. Ipsæ periistis Athenæ.
Quæ quanta extiterit clades narrare volenti
Lingua cadit. quid enim superest nisi fabula tantum,
Et cinis, & sparsæ per inhospita tesqua fauillæ?
O Diuûm domus, ô genitrix fecunda virorum,
Feta armis, feta ingeniis, nec moribus aureis

Quàm

Quàm belli virtute minor, quis culmine tantò
Deiectam aspiciens lacrymis non impleat ora?
Túne illa (vt perhibent) cælo gratissima tellus,
Túne illa æternis, Diis nempe auctoribus ipsis,
Fundata auspiciis, populos vt iura per omnes
Æqua dares, sæui nutum seruare tyranni
Cogeris, & quæcunque animo vesana libido
Exuderit fera iussa pati? Ciuilibus olim
Imperiis cum Roma potens te rexit amico
Sensisti victorem animo, vicisse videri
Vt posses. Adeò mansueta & libera iura.
Quæ nunc nulla manent. Misera seruire necesse est,
Aut domino mandante mori. Prò dedecus ingens!
Tortorémne manes potius quàm corripis arma?
Rumpe iugum. Res pulchra mori constanter in armis.
Tu verò ante alias fortunatissima terras,
Quæ tantos inter fluctus rerumq́; procellas
Mansisti incolumis nimium Diis vsa secundis,
Italia, ô ingens mundi decus, optima semper
Consiliis seu bella forent, seu fœdera curæ.
Aspice quàm duris luctetur Græcia fatis,
Aspice te quantis nunc efferus ille lacessat
Viribus. Audendum est contrà. Metuentibus instat
Improbus, audacem fugiens inglorius hostem,
Ceu lupus insidias septo nocturnus ouili
Cum struit, at pastor vigilans, & odora canum vis
Arma parant, fugit ille, licet rabida ora fatiget
Dura fames. Adeò tarda atque ignobilis ira est.
Ne tamen audendo quidquam temeraria pecces,
Antè animo perpende tuo quo robore certes
Ipsa, quid expectes alios, an signa parati
Iungere quos iisdem inuoluant incendia flammis.
Magna quidem per te cum res Romanus habebat,
Sed nunc tuta magis, minus atque obnoxia tetræ
Inuidiæ, postquàm Latiis qui præsidet aruis

Vittis & sacra redimitus tempora mitra,
Nec sæuus bello, sed relligione verendus,
Et pater, & custos, & magni Numinis instar,
Fœderibus iungit populos, terrasq; per omnes
Christiadûm pia sacra ferens communibus aris
Conciliatq; animos, & obortas temperat iras.
Illi nempe salus, illi tua commoda curæ.
Ille videns quantis Italæ res surgere possent
Viribus æterni si fœderis auctor vtramque
Iungeret Hesperiam, Venetisq; accederet vltor
Hispanus longo bellorum exercitus vsu,
Magnanimum blando pius impulit ore Philippum
Non tantum Ausonia & Sicula tellure repostas
Vt conferret opes, sed quantum Hispania diues
Possidet Herculeas quâ tenditur vsque columnas,
Armaq;, & æratas ingenti mole triremes,
Denique se, fratremq; suum, gentemq;, domumq;
Communi offerret bello. Quis tanta recuset
Auspicia, hortantesq; sequi in prœlia Diuos?
Vidimus vt duro vix eluctata duello,
Tortilis inducto coluber velut ictus aratro,
Vrbs Venetûm, Hadriaci quondam regina profundi,
Nunc sæuo ab impar hosti. Qui victor opimam
Cum iam vastasset Cyprum, Cypro addere Cretam,
Scilicet & Creta Corcyram, & plura parabat
Regna. Sed indignos postquam miserata labores
Pontificis summi pietas, & fida Philippi
Dextera communi sese obiecere periclo,
En aliam rerum faciem. Modò victor vbique,
Victus abit. Summo quæ terruit æthere Diuos,
Nereaq;, atque imo latitantes æquore Nymphas,
Ionio in magno disiecta atque obruta classis
Aut flamma, aut periit ferro, aut seruata triumpho est.
Tot fortes cecidere duces, tot mersa sub vndis
Corpora magna virûm, argentiq;, auriq; talenta.

Et dubitamus adhuc nos huic committere victo
Accisis iam nunc opibus, quem vicimus antè
Integris? Repetent fontes, conuersaq́ retrò
Flumina circumagent mirantibus agmina ripis,
Si campis vnquam nos debellabit apertis
Donec salua manent nobis hæc fœdera, & unà
Præferimus iunctis fulgentia signa maniplis.
Non ea vis animo. Nostra illum ignauia fecit
Audentem, & sociis quòd non bene fidimus armis.
Nunc tempus mutare vices, & sumere iustas
Insonti toties fuso pro sanguine pœnas.
Sed quia magnanimi cunctis mens nota Philippi,
Votaq́ periuram bello disperdere gentem,
Præsentes illi poscam per carmina Diuos,
Et precibus iungam lacrymas, nec morte paciscì
Desugiam vt versis pereat res Barbara fatis.
Tu verò Hadriaci claustris vrbs addita ponti,
Vosq́ Antenoreo geniti de sanguine ciues
Hæc versate animis. Iuuet esse Antenore natos,
Qui captæ (vt perhibent) post diruta mœnia Troiæ
Euganeis olim consedit finibus exul
Nobilis, & Phrygiæ pars non postrema ruinæ.
Sed quoniam pacem mediis hic miscuit armis,
Sollicitus non qua se mole opponeret hosti,
Sed qua pugnaces euaderet arte Pelasgos,
Nolim hæc vos exempla sequi. Sint libera semper
Consilia ante tubam num pax, num bella gerenda,
Postquam bella placent, iamq́ horida cornua rauco
Cum lituis audita sono, tunc tunc iuuet arma
Arma sequi, sua cuique salus consistat in armis,
Tunc gladios vibrare, graui tunc spicula dextra
Cura sit. Aduerso miles qui pectore Martem
Concitat, vt res cunque cadat, viuens nec egebit
Laudis, & extento moriens celebrabitur æuo.
Ergo agite, & placido mecum hæc perpendite vultu.

Principio cum vos Selymi violentia adegit
Concertare manu potius quàm linquere Cypri
Regna, licet titulis non sat bene parta decoris,
Collaudata quidem virtus, sed quis tamen auctor
Tantopere imparibus suasit concurrere telis?
Consilio freti vestro desueta situq;
Oblita mouistis rapta e penetralibus arma,
Et viduata suis naualia puppibus alto
Immisere freto notam nullo æquore classem.
Nam si qua externas abies prius attigit oras,
Mutandas pelago merces, non bella gerebat,
Diuitias domino, non allatura triumphos.
Sed quo lenta quies plures absumpserat annos,
Hoc magis exarsit rapidi noua gloria Martis.
Denique non alio certatum tempore tantis
Est opibus. Ferro ceu secta renascitur Hydra,
Afflictæ creuere ipso in certamine vires,
Nec frangi potuere animi, nec cedere victi.
An repetam illius pulcherrima facta diei
Quo nunquam Ausoniæ illuxit felicior ora,
Et quem qui vestræ natalem dixerit vrbis
Et mecum facit, & rectum Ioue iudicat æquo?
Vsque adeo exangues iam penè reliquerat artus
Spiritus, & tenues se vita remorat in auras.
O quanta accessit Venetæ tunc gloria genti!
Sed multo satius fuerat non vincere quàm nunc
Victores medio tam fœdè absistere bello.
Scilicet aduersis fortes res inde secundæ
Mutatos quatient, & erit victoria fraudi.
Si quantis animis prostratum vicimus hostem,
Iussisset parili virtute incumbere victo,
Libera sub nostris ageret nunc Græcia signis,
Et nemora incolerent reduces Parnassia Musæ.
Sub iuga venisset Rhodope, venisset & Æmus,
Fluminaq; Orpheo quondam sistentia cantu,

Nec tam sublimi se vertice tolleret Isther,
Et trepida ostriferi turbarent litora Ponti.
Quod tamen interea periit periisse sinamus,
Dum stimulos animo subdat pudor, iraq; segnes
Excitet, & magna rursus vi mittat in hostem.
Quem si cunctando patimur modò cruda mederi
Vulnera, ceu positis serpens nouus exilit annis,
Vltrò aderit multo repetens cum sanguine pœnas.
Nec verò hic exors damni, aut illæsus abibit
Qui nunc dissimulet, iurataq; fœdera fallat
Improbus, aut Geticis addat se transfuga castris.
Vnà odere omnes, timidos magis, horrida semper
Amplexi imperia, & metuentes parcere Turcæ.
Postquam igitur sumptis posita est spes omnis in armis,
Duremus. Meritam referet constantia laudem.
Tuq; adeò sancti decus immortale Senatus,
Piereis olim docuit quem Pallas in antris
Et sapere, & magnas res magno condere versu,
Bobba pater venerande, huius mihi carminis auctor,
Purpureas inter vittas crinemq; decorum
Hanc sine sacrato tibi vertice serpere laurum,
Et mecum vnanimes compelle in prœlia reges.
Tu maris Ionij tuta vada salsa carina
Peruolitans pulsos iterum toto æquore Turcas,
Disiectasq; canes classes, atque obruta ponto
Corpora. Dein Libycas seu te fert cursus ad oras,
Seu pingues Asiæ campos, victricia latè
Signa per ignotas facies effulgere gentes,
Dum Solymos venias Galilæaq; latus ad arua,
Atque illo tandem statuas in monte tropæum
Quem Deus humano latitans sub corpore summi
Supplicij esse locum voluit cum morte subacta
Æternum humano generi reserauit Olympum.
Ipse ego ceu magna quondam subuecta triremi
Cymba ferar, casus & te comitabor in omnes.

LÆVINI TORRENTII DE IOHANNE AVSTRIACO LIBER SINGVLARIS,

AD ANTONIVM PERENOTTVM, CARDInalem *Granuellanum, regni Neapolitani Proregem.*

QVos tenui magna de re subtemine versus
  Dum vacat Ausoniæ duximus arte lyræ,
Antoni Perenotte tuo miscere labori.
  Ne pigeat. Noti dona clientis habes.
Sæpe graues blando minuuntur carmine curæ,
  Et iuuat hanc duris addere rebus opem,
Nec quisquam Aonidum cultos turbatus in hortos
  Digreditur qui non lætior inde redit.
Hos tibi Parthenope pandit felicibus aruis,
  Sed tamen & Belgæ quo capiaris habent.
En ferimus flores inscriptos nomina Regum.
  Aptior his capiti nulla corona tuo.
Carolus hos inter gemina cum prole (Nec æstas
  Aut grauis hiberni frigoris aura nocet)
Semper honorato spirat de vertice nectar,
  Semper & ambrosius fulget ab ore decor.
Sponte tuos cupiunt tactus, tua nomina poscunt,
  Et gaudent titulis inseruisse suis.
Fortunate nimis, cuius pulcherrima virtus
  Pulchrior est tantis accumulata bonis.
Te sine nil magnum mens inchoat alta Philippi,
  Te sine nec Turcas vicerit Austriades.

IN

IOHANNIS AVSTRIACI NAVALEM DE TVRCIS VICTORIAM.



ILECTA cælo (Quis bonus abnuat?)
Dilecta cælo est Austriadûm domus.
Hunc Caroli præclara virtus,
Hunc meruit pietas amorem.
Quanto ille maior viribus extitit,
Tanto minorem se superis gerens
Dum templa, dum propugnat aras,
Et veterum pia sacra patrum,
Forti nec audet fidere dextera
Quodcunque Christi relligio vetat,
Succreuit vsque atque vsque, summo
Vertice dum feriens Olympum
Æquauit astris imperium. Suo
Quod inde nato tradidit, ac Deo
Se mancipans, curisq; soluens,
Compositus placidus quiete
Quæ deerat æuo summa fugacibus
Expleuit annis. Nunc Superûm choros
Lustrans, & insigni corona,
Purpureoq; nitens amictu,
Heroas inter laudibus inclitos
Alto recumbit conspicuus toro,
Gaudetq; non longo labore
Perpetuos adiisse honores.
At cætera expers sollicitudinis,
Vnum efficaci prosequitur prece,
Ut Numinis quem sensit ipse
Sentiat & soboles fauorem.
Nec vota fallunt. Hoc toties tibi
Philippe certa perspicitur fide.

Nam

Nam quidquid aut pace inchoaris,
Aut validis animosus armis,
Desideratum ducit ad exitum
Ille ille vindex Austriadûm Deus,
Tibi vndique, vt quondam parenti,
Concilians decus atque famam.
Nec fratris impar est Genius, tuis
Qui nuper vrgens auspiciis feros
Sic contudit, sic fregit hostes,
Thrëiciæ vt dominator oræ,
Byzantis arces imperio tenens,
Arctisq; Ponti faucibus incubans,
Nilumque, Iordanemque, & omnem
Vna Asiam cohibens catena,
Duroq; Graios seruitio premens,
Atque hinc Molossos, hinc Nomadas trahens,
Immensa & atrox classe vtrique
Hesperiæ minitans ruinam,
Nulla antè vi, nulla arte domabilis,
Nunc ipse sese contrahat, ac sibi
Suisq; diffidat stupendo
Nominis Austriaci pauore.
Vastata Cyprus, (prò dolor!) & graui
Hac clade pridem quæ Venetûm fuit
Libata iam virtus cruenti
Huc animum impulerant tyranni,
Huc Barbarorum pectora militum,
Vt, ipse contrà si steterit Deus,
Deumque, cælestesq; sæuis
Appeterent acies sagittis.
Humana quo non proruit impotens
Natura, veri nescia? Sed magis
Quo creuerit, maiore præceps
Fertur in exitium tumultu.
Ergo illa nostris ebria cladibus

Deprensa classis Dulichio in mari,
Quâ callido regnata Vlyssi
Saxa graui quatit vnda ponto,
Quid Christiani gratia nominis
Viresq́; possint obruta fluctibus
Mox sensit, & consumpta flammis,
Et rigido lacerata ferro.
Tuti antè noto constiterant sinu,
Naupactum, & vrbes inter Achaïcas.
Rapti sed inde ardore pugnæ
Cum ruerent stimulante præda,
Prensis sub altis ceu stabulis lupi
Quæ structa nobis pertulerunt mala,
Lugentq́; victi. Nos opimum
Incolumes canimus triumphum,
Quo nullus vmquam pulchrior. Actius
Non hoc Apollo, non Salamis neget,
Incesta quanquam Ægyptus illic,
Hic tumidi periere Persæ.
Par caussa victis, vt malè sit malis.
Sed Turca quanto sæuior omnibus,
Hoc illius maiore plausu
Vincitur obruiturq́; fastus.
En vasta nigro quot fluitant mari
Permixta rebus corpora. Stat stupens
Euenus, attollitq́; ripis
Attonitas Achelous vndas.
At monte doctis virginibus sacro
Gauisa Phociis cedere Barbaros,
Crucesq́; victrices per vdos
Ionij volitare campos,
Dat signa dempti Graiugenis iugi,
Desuetaq́; ardens pectora suscitat,
Themimq́;, Cyrrhæumq́; vatem,
Et reduces monet esse Musâs.

Saluete magni quos veneror Duces
Sudore & atro sanguine sordidos,
Saluete, per quos parta nuper
Perpetuæ monumenta famæ.
Non ora centum, non totidem satis
Sint plectra vestris laudibus. Et tamen
Vrsine, teq; ingens Columna,
Romuleæ duo lumina vrbis,
Canamq; bello quos Melite viros
Enutrit audax cedere nescios.
Tricena nacti quisque colla,
Obiicerent patriæ periclis.
Nec te silebo te Ligurum decus,
Ductorq; præstans, Oriadum genus.
Innecte rostratam merenti
Tu quoque nunc capiti coronam.
Maiore sed me proripit impetu
Vrbs Hadriano condita quæ sinu
Sic Italas illustrat oras
Vt rutilum vaga Luna cælum.
Hæc caussa belli. Hanc malè perditam
Immanis optat dum Selymus, pium
Pertraxit in partes Philippum,
Et Venetis sociauit armis.
Innata virtus omnia perpeti
Quàm turpe mauult opprobrium, neque
Mors dura cum post mortem honesti
Laus pretium sequitur laboris.
Mori parata, aut vincere pertinax
Incumbit hosti Antenoridûm manus.
Dumq; huc & huc se vertit ardens,
Prævalidis agitata remis,
O illa quantis horrida cladibus
Est vlta Cyprum, sed dubio diu
Sub Marte, nec paucis suorum, &

Barbarico ſimul interempto!
Qui ſæuo anhelans vulnere cum fugam
Sentiret hoſtis, Nunc morior lubens
Nunc inquit, & cum voce vitam
Ob patriæ poſuit ſalutem.
Nec fatum amici, aut te Veneri tuæ
Tardauit ætas. Fortior emicas,
Mixtaſq; per cædes ruenti
Auſtriadæ mediaſq; flammas
Accurris acri viuidus impetu,
Palmamq; firmas. O procerum decus,
O prouida cui mente Neſtor
Cederet, atque animis Achilles,
Te fata ſeruent Auſtriadæ tuo,
Tuumq; ſeruent Auſtriaden tibi.
Quiq; inclita virtute cæſis
Iſmarij ducibus tyranni
Opima fertis nunc ſpolia, & ſimul
Incenſa præter merſaq; fluctibus
Tot ſigna, & æratas triremes
Eximio trahitis triumpho,
Trahetis iidem curribus aureis
Regem ipſum, & atro gurgite Boſporum.
Nec fallor. En iam turbat Iſther
Horribilem trepidans ruinam.
At ô paterno qui Latium tenes
Romamq; regno Maxime Pontifex,
Quem lege ſacrata per omnem
Chriſticolæ veneramur orbem,
(Res nulla fauſto cum ſcelerum Deus
Succenſet vltor deſinit exitu)
Tu flectere & placare blandis
Vſque Deum precibus memento.
Non pauca præſtas militiæ, ſacri
Conſorſq; & auctor fœderis, at piis

Vis maior in votis & aris.
O hominum pater atque custos,
Extenta cælo brachia dum feres,
Vates vt olim corniger, arduus
Parebit æther, & capessent
Vnanimes tua iussa venti.

Ad eundem Iohannem Austriacum, Belgij gubernatorem.

PROCVL *Typhoëus, & validus Mimas,*
Gygesq́, & omnis Terrigenûm cohors,
Vastoq́, regnator Cyclopum
Cæde madens Polyphemus antro.
Quis namque credat corporis vnius
Horrenda centum brachia? quis feros
Vultus, & indigesta membra
Anguineis coiisse plantis,
Aut inquietis horrida fluctibus
Sulcata siccis tota humeris freta,
Ossamq́, frondosumq́, magno
Pelion impositos Olympo?
Abite nugæ. Non alios ego
Noui Gigantes quam malè qui suis,
Vtcunque res sic poscit, vsi
Viribus in populum innocentem
Sæuire gaudent quo libuit modo,
Et siue tectis insidiis agunt,
Seu Marte grassantes aperto
Ius rabidis statuunt in armis,
Non antè cœptis abstiterit furor,
Ah quàm ruina perculerint graui
Quemcunque consectantur, atrox
Vt teneram accipiter columbam.
His Terra mater, nil sapiens enim

Cæleste,

Celeste, nullusq; est animo locus
Quem possident infanda ventris
Proluuies furus ac Cupido.
Prædæ paratas semper habent manus,
Intenta semper lumina. Nec furor
His vnus, at quocunque vertas,
Tot scelerum facies & artes
Circum innocentis conglomerant caput,
Vt nec triformis corpore Cerberi,
Nec tristium plures inerrent
Crinibus Eumenidum colubri.
Non tutus imo qui latitet mari,
Non tutus is qui montibus asperis.
Vix ignei porta alta cæli
Incolumes habitura Diuos,
Ni fulminator Iuppiter impia
Ausis corusca deiiciat manu,
Ac victor æternis fatiget
Suppliciis etiam sub Orco.
Sed quod ferebant auxilium patri
Inuictus olim Liber & Hercules,
De matre mortali, sed ambo
Tunc numeros meriti Deorum,
Id tu Philippo, qui similis Ioui
Tot efferarum Barbara gentium
Conata, monstrosasq; vires
Auspiciis superat secundis,
Nunc Iane præstas. Ille Dei metu,
Cui vera virtus, & pietas comes,
Arasq; Cælestumq; cultus
Ætheria veluti sagitta
Tutatur ardens, tu gladium quatis
Hastamq;, tu mortalia comparas
Bellator indefessus arma. O
Herculeo bene iuncta nodo

Cælumq́; terrámque. Hoc ſolidum decus,
Hæc ſumma belli gloria, cum Deus
Caſtrenſia inter ſigna fulget,
Et ratio regit æqua dextram.
En en probroſa præcipites fuga
In damna certumq́; exitium ruunt,
Vrgetq́; turbatos aperta
Sacrilegos graue Numen ira.
Confide. Quid non efficiat piis
Qui fretus armis iuſtitiam fouet?
Hanc vſque ſerua. Nil quod æquè
Monſtra, nouosq́; domet Gigantes.

In Iohannis Auſtriaci mortem.

LAVS *magna magnis debita. Quis tuas*
Speret canendo ô Auſtriadûm decus
Æquare virtutes? Sed olim
Vt cecini pia gratus arma,
Cum victor vdos Ionij ſinus
Fuſô inquinatos ſanguine Barbaro
Emenſus æternum tuliſti
Thracibus à domitis triumphum;
Sic magna adauctum nuper adorea,
Dum priſca nobis reſtituis ſacra,
Diuûmq́; calcatos honores,
Fratris & imperium Philippi,
Laudare fauſto cum aggrederer pede,
Dicturus acri prœlia dextera
Pugnata Gimblaci ſub altis
Turribus, ac reduces tot vrbes,
(Quas tute malles compoſita frui
Quiete, quanto viribus altior
Et bellica virtute, tanto
Iuſtitia ac pietate maior)

Iniecit atras mox Lachesis manus,
Nec passa plantam crescere, prò mala
Ceu falce primò incidit æuo,
Quæ solitos veniens ad annos,
Formosa densis luxurians comis,
Altoq; tangens sidera vertice,
Excesset omnes quas vel Indi
Horriferis aluere siluis.
Quæ pulchra raro serius occidunt.
Nec te parentis vincere gloriam
Decreuerant fas esse quæ sic
Ante diem rapuere Parcæ.
Hac lege terris nascimur, vt mori
Quacunque visum sit Superis die
Necessitas nos cogat. Illa
E teneris rapit orta cunis.
Nam fata prudens occuluit Deus.
Nec scire refert. Quæ mihi, quæ tibi
Decreta dum celantur, acri
Mens vigilat stimulata cura.
Exempla nos hoc rite docent tua.
Quem blanda molli cum gereret sinu
Fortuna, tot plenum benigna
Muneribus cumulante dextra,
Hic tu (futuri non ideo magis
Securus aus, aut desidia fluens,
Sed impiger, sed mente tota
Te studiis moderans honestis,
Caliq; rectorem ante oculos ferens,
Qui solus addens imperiis decus,
Quàm pace, tam mirandus armis,
Suppositum sibi torquet orbem)
Postquam supremæ tempora senseras
Instare vitæ, non genus, ac bonam
Causatus ætatem, aut pudendum.

Militibus

Militibus sine clade letum,
Fortes vt hostes intrepidus soles,
Sic irretorto visus es horrida
Sperare mortis tela vultu,
Cum socij comitesq́; masti
Nec fronte luctum, nec lacrymas genis
Celare possent. Magnanimi ducis
Tam firma & illibata virtus
Ingenitum exacuit dolorem.
Quid Marte posses certa diu fides,
Victo sed hoste vt te quoque vinceres
Restabat. Hanc mors ista tantam
Accumulat generose laudem.
Cur ergo magnos sollicitem Deos,
Turbémue inani funera nenia?
Qualem Herculem videre quondam
Thessaliæ iuga saltuosæ
Perferre Nessi vulnera tristibus
Curata flammis, vltimus hic labor,
At ceteris maior, per omnes
Emeritum vt celebraret annos,
Talem Camenæ te memorant meæ
(Occlamet atrox inuidia vt lulet)
Tam dura constanter ferendo
Æthereum penetrasse Olympum.
Nec morte quisquam gaudeat improbus,
Non deerit vltor perfidiæ Deus,
Qui Caroli stirpem fouendo
Indomitos populi furores
Castiget alto verbere, nec sinat
Dari efferatæ frena licentiæ.
Plorabit auctor cum nefanda,
Tot scelerum artifice, officina.
Hanc spem potentis Iustitiæ soror
Afflicta firmat Religio. Dei

Clementia

Clementia oppugnata iustus
Fit furor. O miseri, quis illi
Obsistat? Atro turbine quàm cito
Voluuntur vndæ, vel stipulæ leues,
Vos ipse vos vnà tremenda
Præcipites feriet ruina.
At tu beatis eximium iubar
Adscripte Diuis dein precibus iuua
Quos hactenus tutaris armis.
Nos meritos referemus hymnos.

LÆVINI



LÆVINI TORRENTII IN PONTEM, SIVE MACHINAM, FORTISSIMI DVCIS, ALEXANDRI FARNESII, PRINcipis Parmenſis, obſeſſa Antuerpia.



IL eſt quod ingens non ſuperet labor,
Seu forte terra, ſeu lubeat mari
Patrare quod ventura longum
Poſteritas celebret per æuum.
Inuitat illuc gloria, fortium
Calcar virorum. Propoſitum eſt mori
Aut vincere, immortalis apto
Fulgeat vt capiti corona.
Nec vlla cælo notior eſt via.
Quam triuit olim Bacchus, & Hercules,
Triuere cum Polluce Caſtor,
Atque alij, atque alij. Benigna
Quos Muſa ducens impauidos manu,
Sancto inſerendos concilio Iouis,
Euexit obſtantes per ignes
Æthereis ſuper aſtra bigis,
Nec paſſa tantas ire ſilentio eſt
Ingrata laudes, ora celebrium
Tingens poëtarum potenti
Nectaris ambroſiæq; ſucco,
Pulchra vt ſonoris carmina funderent
Iungenda chordis, ac facerent fidem
Præſtantium virtute vinci
Fata virûm horribilemq; mortem.
Sed quidquid horum crediderit prius
Actis vetuſtas horrida ſæculis,
Rem certius iam noſtra nouit,
Et manibus prope tangit ætas.
Iniecta ventis frena procacibus

Clausumq́, magnis obicibus mare,
Ac vincla Neptuno furenti
Addita monstriferoq́, ponto
Quâ Scaldis ingens Nerea dulcibus
Percurrit vndis, &, caput vrbium,
Te praefluens Anuersa, multo
Eximiam locupletat auro.
Auro sed artes dum pereunt bonae,
Rectumq́, verumq́, & pudor, & fides,
Foedo peregrinis honestum
Deliciis abolente luxu,
Luxumq́ vitans Religio procul
Absistit aris, nec precibus studet
Votisq́ delenire Numen,
Rite piis operata sacris;
Plebs inquieto concita spiritu,
Infida, fallax, vt facinus luat
Immane, quòd magni sit ausa
Excutere imperium Philippi,
Stat structa vasto machina gurgite,
Inuisam egenis concilians famem,
(Humana quam vis nulla frangat,
Aut tumidi rabies profundi)
Tam firma summis fluctibus incubans,
Pilisq́, iunctisq́ ordine nauibus
Fundata, quam si haereret alto
Colle minax, solidóue saxo.
Oppugnet Auster turbidus aethera,
Ruatq́ ab imis vorticibus mare,
Secura tempestatis atrum
Intrepidè opperietur Austrum.
Nec est tonantem quod metuat Iouem,
Cui cura Regum sceptra gerentium,
Vt perfidam impuramq́ turbam
Suppliciis reprimant seueris.
Quos noster omnes exuperans pia

Virtute

Virtute quid non speret, & impetret?
En alterum adiunctum paternis
Imperiis moderatur orbem.
Agnosce summum (nam minor es) Deum,
Dignúmque dignis obsequiis cole.
Coles inhærendo Philippe,
Iustitiæ, scelerumq́; pœnis.
Hæc sola tanta causa potentiæ,
Hic finis, vt quo fortior emines
Sis iustior. Sic fama crescet,
Crescet honor, cumulusq́; laudum.
At vos scelesti, vos (precor) impij,
Quis iste mentes exagitat furor?
Non Regis hæc sunt orsa, Diuûm
Res agitur. Quibus ille fidens,
Quorumq́; nitens auxiliis, bonum
Quæcunq́; cœpit ducet ad exitum,
Plorantibus commissa vestræ
Qui socij fuerint ruinæ.
Læsi quod ira sic fore Numinis,
Ne mente cæcus quis dubitet, palam
Fatalis, en, exclamat illa
Machina. Sed quid agat monendo
Quos prorsus omnis destituit pudor,
Quos praua rectis, quos tenebras iuuat
Præferre luci, turpe honesto,
Dedecus opprobriumq́; laudi?
Ite obstinati, pergite quò lubet,
Quoq́; efferatos Eumenides trahunt.
Contendite, implorate quidquid
Rex Stygiæ tenet ater oræ,
Vnde illa nuper rebus in vltimis
Quæsita diris auxilia artibus,
Cum noctis æternæ tenebras
Attonitus trepidabat orbis.
Inauspicatus, vanus, & irritus

Cum DIs resistunt est hominum labor,
Sed fausta, sed laudanda per quæ
Impietas prohibetur arma.
Tu vero iniquos iusto odio premens,
Tantiq́, Regis munera sustinens
Romane Alexander, nec illo
Inferior qui, Asiam Pelasgæ
Quòd iunxit oræ, creditus hunc ferox
Vicisse mundum, optauit & alterum,
Confide. Qui Regem tuetur
Te simul vt tueatur æquum est.
Nec te monendo præteritam velim
Anuersa. Cessas ah nimium diu.
Ni pœnitet, quæ bis peristi,
Mox iterum, at grauius, peribis.
Sed fallat omen. Tu modo tu sape,
Locum antè spretis dans melioribus,
His crede. Magna est ira Regis,
Maior erit pietas parentis.

LÆVINI TORRENTII IN LAVDEM BALTASARIS GERARDI, FORTISSIMI TYRANNICIDAE.



VID Phœbe cessas? arripe barbiton,
Intende neruos; præcine carmina,
Quæ tibiis, quæ voce molli
Aoniæ recinant puellæ.
Non parua res est, non humili modo
Tentanda, pœnas dicere debitas
Soluisse sese venditantem
Excidio patriæ tyrannum,
Quo nullus vnquam sæuior extitit,
Occultiórue, atque inde nocentior.
Prauisá deuites, opertum est

Exitium

Exitium simulata virtus.
Hac nixus arte vt non alius magis
Guilelmus ille Orangius, ah pudet
Narrare quot qualesq; quanta
Impulerit populos ruina.
Quid orbe toto illustrius eminet
Quam Galliæ fama inclita Belgicæ?
Hanc perdidit, vertitq; laudem
Dedecore, opprobrio, pudore.
Nec verò abactas conqueror hic opes,
Vastos nec agros, vasta nec oppida,
Non coniuges ad stupra raptas
Cum pueris simul, & puellis.
Cædes, rapinæ, incendia quid nisi
Ludus cruenti Martis? Et hæc quidem,
Necessitas vt dura iussit,
Iam tulimus, ferimusq; ferri
Qua mente debent, (quippe homines sumus,
Humana nec fas effugere est mala)
Maiora sed lugemus orta
Vnius impietate damna.
Ceu dirus anguis qui gremio latens,
Tectasq; fallax insidias mouens
Inuadere ingentem Philippum
E latebris meditans dolosis,
Sperare lætum cœpit vbi exitum,
Effrenis, audax, improbus, insolens,
Legumq; contemptor, verendum
In domini caput immerentis
Contorta vertit cornua, & in dies
(Vt fit proteruis cum periit pudor)
Maiore succensus furore,
Cælo etiam Superisq; bellum
Intendit atrox. O miserum genus
Humanum, vt vni tot liceant mala
Impune, tot grassatus annos

Et dominum & patriam nefandis
Diuexet armis, commoda publica
Verrat rapinis, otia distrahat,
Condemnet omnes, ipse mœchus,
Sacrilegus, violentus, exlex.
Cur templa Diuûm deiicit ardua,
Euertit aras, frangit imagines
Ac signa, quæ nos vsque nostræ
Esse iubent memores salutis?
Peiora dicam, & quæ magis attinent.
Cur damnat illam quam colimus Crucem,
Mortisq́ deuictæ tropæum
Mente mala furiatus odit?
Est his quod addam, dum sceleri scelus
Innectit. Ipsum cur adytis Deum
Sub pane sacrato latentem,
Vitigeno & medium liquore
Exturbat amens? Heu nimium ferox,
Quò tendis vltra? Sat vitiis datum.
Quo tendis? Eheu, parce. Tanto
Nil reliquum, ô miser, est furori.
Fortuna summo te statuit gradu.
Compone mentem, vel Nemesin caue.
Irata momento pudendam
Præcipitem dabit in ruinam.
Nec quære possit quo fieri modo.
Iannilli id olim te docuit manus.
Nunc astat alter, qui peremptum
Sternat humi meliore dextra.
An fallor? Audire en strepitum pedum,
Et cernere ictus mi videor graues.
Eia euge perstæ, stringe ferrum.
Cum timido tibi res latrone.
Vicisti, ô ingens Sequanicæ decus
Perenne gentis, maxime Baltasar
Gerarde, vicisti, nec vllo

Inferius

Inferior tua laus triumpho est.
Tot functus olim namque laboribus
Quid tam notandum præstitit Hercules?
Maiore quam portenta fructu
Mortiferi pereunt tyranni.
Sed summa quamuis hinc tibi gloria,
Est quod stupescat posteritas magis,
Constantia, inuictaq; mentis
Ferrea vis, animiq; robur.
Tu nempe tantum cum facinus volens
Lubensq; fausto aggressus es omine,
Non plausibus, vanaq; ductus
Gloriola popularis auræ,
Sed laude pura, nec sine Numine,
Non nesciebas quæ tibi Barbari
Tormenta deprenso pararent
Carnifices. Sed & illa temnens,
Vnamq; virtutem ante oculos habens,
Et regna Christi, & gaudia Cælitum,
Vt clarus oppresso tyranno,
Sic stabili ratione victo
Mox temetipso clarior, horridis
Non te moueri suppliciis sinis.
Stat lictor intentans secures,
Verberaq;, & gladios, & ignes,
Vnguesq;, & vncos, pluraq; non prius
Audita pœnarum & genera & modos
Quæ dicta (nedum visa) honesto
Ingenuum moueant ruborem.
At tu irretorta singula perferens
Ceruice, mentemq; indomitam gerens,
Non voce testatus dolorem,
Non gemitu, sed in astra vultus
Figens viriles, nec timidus mori,
Morte inferendus Cælicolûm choris,
Æterno ab omni labe puram

Reddis ouans animam parenti.
O expetendum fortibus & bonis,
O gloriosum supplicij genus!
Quot intulit tormenta tortor,
Tot capiti posuit coronas,
Quas nec malignæ decutiant niues,
Nec densus imber, nec niger Africus.
Mansura sunt quæcunque larga
Dat meritis Deus ipse dextra.
Inuicte salue, salue iterum, meis
Dicende chartis. Sed tamen hæc tua
Pars quanta laudis? Tute nostræ
Tu decus & columen Camenæ.
At vos Batauì, talia quos iuuant
Spectacla, fusis atra cruoribus,
Pro sonte dum mactatur insons,
Lausq́; odio, scelus est honori,
Ne cæcus error præcipites agat,
Audite vera & discite nomina.
Rex ille quem spreuistis, ille
Quem colitis merus est tyrannus.
Nec qui tyrannum sustulerit reum
Sontemq́; duci conuenit, at pium
Sanctumq́; consecrare fastis
Cum titulo patriæ parentis.
An prisca forte ad vos feritas redit,
Gaudetq́; mores fingere Barbaros?
Hæc iusta spreti pœna Regis.
Iam sapite, aut grauiora restant.

FINIS.

LÆVINI

TORRENTII

ODARVM AD AMICOS

LIBRI DVO.

LÆVINI TORRENTII ODARVM AD AMICOS LIBER PRIOR.

Ad Octauium Panagathum cognomento Patrem.



Ctavi, *studiis præsidium meis,*
O & Pieridum lumen, & Italæ
Ingens glòria gentis,
Priscum qui reuocas decus,
Cuiusq; auspiciis, seu pede iungitur,
Seu laxa est habitu pagina libero,
Nulla sæcula laude
Cedunt nostra prioribus,
Sunt qui Socraticis inuigilent libris,
Vt rectis animum moribus imbuant.
Sunt qui lucida templa,
Augustas Superûm domos,
Acclinesq; polos, & vaga sidera
Lymphata rapidi mente perambulent;
Sunt quos omniparentis
Naturæ artifices manus
Miratos liquido quicquid in aëre,
Monstrosóq; procax ediderit mari,
Et terra simul omni
(Quo laudabilius nihil)
Vestigare iuuat, nec sine Numine
Gauisi ingenuo molliter otio
Imi se irrequieto
Secernunt populi grege.
Procurant alij munera ciuium,
Et nouisse labor ius quibus artibus
Sacra lege magistra
Mensura tribuant pari.

Multos præteriti temporis anxium
Exercet studium, curaq; non leuis,
Quanto Græcia quondam,
Et Roma, & Latium ferox
Prostrarint acies robore Barbaras,
Qui mores hominum, qui status vrbium,
Et quo pondere ritus
Antiqui superent nouos.
Nec paucos meritis ornat honoribus
Doctæ gratia linguæ, Aonidum aut chori,
Et consortia vatum,
Lauriq;, & cithara beant.
Non desunt cupidis plurima gloriæ
Instrumenta viris. Nec minimum interest
Quo quis sidere natus
Quem vita Genium ferat.
At ægrè tribuens singula ceteris
Vltrò dona tibi contulit omnia
Tam profusa suorum
In te & prodiga munerum
Natura, vt neque tot pascua floribus,
Nec tot sint nitidis sparsa lapillulis
Rubri litora ponti,
Quot tu laudibus emines.
Testis præcipuæ palma scientiæ
Cui tam iure datur quin tibi cesserit?
Magni Numinis instar
Doctis tu simul omnibus.
Tu quodcunq; probas nemo reprenderit,
Tu si quid reicis, nemo probauerit.
O & regula recti,
Et vitæ specimen probæ,
Consultiq; gerens nomen Apollinis,
Qui tam certa refers Palladio gregi
Tota oracula Romæ,

Si mo

Si me vatibus inseris
Innectens viridi tempora laureæ
Vt si Castalio fonte rigem labra,
Toto cognitus orbe,
Non vlla moriar die.

Ad Hugonem Bontium, sodalem

HVGO, *meorum prime sodalium,*
Cum quo tot annos sospes & integer
Lætusq; transegi vadosis
Quâ Ligeris spatiatur vndis,
Quâ flexuoso Dilia gurgite
Se inuoluit altis vorticibus frequens,
Gratoq; delectat susurro
Pierias iuuenum cateruas,
Et quâ reducto paruus in alueo
Rhenus pererrans Felsineos agros
Nomen sibi vsurpauit ingens
Indomiti ambitiosus amnis,
Quocunque vitam duximus in loco
Valere curas iussimus arduas,
Mærore non dulces amores,
Non facilem probibente somnum.
Sic literatum exegimus otium,
Sæpe innocenti lætitia merum
Ludosq; miscentes, iocosq;,
Et medios salibus cachinnos.
Alterna Bacchus tempora separans
Ab erudito Pieridum choro,
Alterna subiunxit labori
Gaudia, peruigilesq; chartæ
Nequid nocerent, addidit aureæ
Quæ consecrarant pocula Gratiæ.
Sic Liber, & Musæ, Venusque,
Et Charites coiere in vnum.

At nunc viciſſim (Prò male diſpari
Vt cuncta verſat Parca ferox vice!)
Paullo antè qui tecum beatè
In ſtudiis placideq́ vixi,
Romæ inquieto pectore languidæ
Mentis dolores perpetior graues,
Turbatus affluctusq́ curis,
Aſſiduoq́ agitatus æſtu.
Hic namque vitæ dum meditor modum,
Metamq́ rebus figere deſtino,
Quod ſuadet ætas, iam iuuenta
Ah celeri fugiente penna,
Incertus erro conſilijq́ inops,
Nec quid ſecutus quid fugiam ſcio,
Vt ſorte ramoſis oberrans
In triuiis, fragiléme ſæuo
Regens phaſélum dum trepidat mari,
Omne artis expes auxilium mouet,
Fruſtra, quòd ex omni furentes
Parte ruant feriantq́ venti.
Suadet quietem non modicus pudor,
Imbelle corpus, feruor & ingeni
Ad ſacra Muſarum ſonanti
Deproperans ſtimulatus œſtro.
Sed grata Muſis ſecter vt otia
Repugnat almæ ſpes bona gloriæ,
Faſtusq́ ad inſignes honores
Per medias iubet ire turbas,
Vrgens togato vt cum grege proſequar
Feruens tribunal, & ſtrepitum fori,
Aut Principum diuerſer aulis
Sidonium veneratus oſtrum.
Hinc Roma molli gratior aëre,
Magnisq́ Diuûm muneribus potens,
Hinc patriæ me cura amorq́

Disparibus retrahunt catenis.
Nunc vita cælebs ac viduus torus,
Nunc grata castæ coniugis oscula,
Et læta natorum propago, &
Blanda patrum placuere regna.
Quocunque gressu transferor anxio
Vix pauca verè contueor bona,
Dénsó sed ingentes malorum
Agmine conglomerant cateruæ.
Deus beatos efficit. O pater
Diuûm rogantem respiciens iube
Sit læta, sit comis futura
Summa mihi facilisq́ue vitæ.

In classem Galloturcicam.

DEVOTA *classis, Gallica fultos ope*
Ferens cruentos Barbaros,
Inuisa quantum dira gentibus fames,
Pestisque, & atra incendia,
Communis eheu orbis afflicti dolor,
Et publicum infortunium,
Quæ te maligna vis acerba Erinnyos
Dirum allatrante Cerbero,
Vt tremeret atri sæua Ditis regia
Terrore Manium graui,
Tetris Auerni prouolutam faucibus
Ad Italum obuertit mare?
An non malorum sat superq́ue mutuæ
Discordiæ nobis ferunt,
Nisi efferis per grande traducti nefas
Emancipemur Barbaris?
Quid enim ista tandem ostenta portendunt noui?
O rem nefandam & impiam,
Horrente cælo, & execrante Numine

Nunquam expiandum opprobrium!
Quos nec parentum ſacra, nec cultus Dei,
Nec lex, nec iidem obuinciunt
Mores, ſed vna vtroſque agit dementia,
(O ſancta ſanè fœdera!)
En Galloturcæ, ter ſceleſti & impij,
Per noſtra ſæuiunt mala.
Credam Chimeræ peſtilentis igneos
Flatus, & immitis leæ
Rictus olentis additos membris capri
Deſinere in anguem luridum.
Credam, impudicæ turpe Paſiphaës ſcelus,
Taurum biformi corpore,
Adeoq́; terræ fetus anguipedum vt cohors
Centena tulerit brachia.
Quæ namque Galli monſtra non vincunt probra
Coniuncti apellis integri?
Vbi nunc malorum eſt ille propulſor Deus?
O Imperator , vnice
Tutor quietis, & ſacrati nominis
Vindex, paterq́; gentium,
Gallos proteruo diſſolutos otio,
Multoq́; lymphatos mero,
Et ſæpe Turcas falſa mentitos ſacra
Magnis fugaſti cladibus
Victor ſeorſum. Gemina nunc ſimul mala
Si Galloturcas viceris,
Infame monſtrum, Pegaſi vector ferox,
Magnuſq́; Theſeus gloriam
Tibi relinquent ipſum adæquanti Iouem
Pœna Gigantum nobilem.

In

In pisces Hippolyti Saluiani, Medici, & Philosophi.

ALTIS *natantum fluminibus greges,*
Omnemq́ gentem quam pelagi pater
Coërcet immani sub vnda,
Tum populi studia atque mores
Formamq́ narras, conscius omnium
Quæcunque magno progenerat mari
Natura, tam nusquam stupenda,
Tam varia memoranda ab arte,
Insigne mæstis consilio & fide
Solamen ægris, quos pede languido
Cymbæ propinquantes Auerni
Perpetuis reuocas tenebris.
Primum quid ergo admirer? An ingeni
Quod tam affluenti fonte rigauerint
Te Di benigni, arcana sensu
Omnia sic penetrantem acuto?
An ipsa rerum monstra reconditis
Educta ab antris? Hic labor est tuus.
Res magna, pertractanda magni
Hippolyti studio atque cura.
O vim profundam pectoris intimi!
O efficaces artificis manus!
Quod docta norat mens ita aptè
Assimilans imitata dextra est,
Vt piscem ab omni conspiciens grege
Natare credas, & tremulum breues
Saltus in orbem flexuosum
Per liquidas agitare chartas.
Cur deinde sæuos sollicitet Deos,
Vitamq́ credat fluctibus horridis
Secreta qui rimatur imi
Gurgitis instabilisq́ ponti?

Molli quietus viuat in otio,
Et Saluiano nautica consecret
Securus armamenta, longo
Et placido fruiturus æuo.
Tu Numen illi, Numen es omnibus
Quicunque vitam perferimus grauem
Morbis, tot occultis vbique
Insidiis veniente leto.
Tu namque raris præditus artibus
Doces acerbis porgere opem malis,
Portenta conuertens in vsum,
Vt miseros hominum labores
Admota tollat vis medicaminum,
Non antè notis auxilijs potens
Tardare festinata mortis
Spicula, perpetuumq́; somnum.

Ad Iohannem Antonium Taxium, Cursorum Caroli Cæsaris magistrum.

NON sic fatidico concita Numine
Suspensos animos turbat Apollinis
Vates, ambiguas si qua petentibus
Sortes ex adytis refert,
Vt tu cum dubio fine potentium
Narras consilia exorsaq́; Principum
Quos & Sol oriens lustrat & occidens
Summo conspicuos gradu.
Multos conciliat gloria Cæsaris,
Plures alliciunt munera Galliæ.
Hinc atque hinc pariter vim metuunt quibus
Cura est Ausoniæ salus.
Inquirunt alij quid celeres parent
Turcæ, quid veteris nominis æmuli
Persæ, num simili roboris impetu

Martem sollicitent grauem.
Omnes scire volunt omnia, dum neque
Arcanis Superûm parcimus improbi.
Tu cum sis igitur conscius omnium,
Quâ lex & ratio sinunt,
Circumstant te auidi, mente sed anxia
Sperant solliciti, nec metuunt minus.
Spes confusa metu cor tremulum quatit,
Vultumq́; ancipitem color
Immutans animi proditor abditos
Secessus aperit pectoris intimi,
Cum qui purpurea tinctus erat rosâ
Buxo pallidior tremit.
Quos inter solida tu stabili gradu
Mentis nec studio deiiceris leui,
Nec ferues odio turbidus aspero,
Nec fluxa varias fide.
Immoto celeres axe volant rotæ,
Immoti rapidum circumagunt poli
Cœlum, sic mediis ipse tumultibus
Constans & placidus manes.
Vltrò tam variis omnia casibus
Misceri sapiens constituit Deus,
Venturi metuens quisque periculi
Soli fidat vti Deo.
Quid refert bona quis nunciet, an mala,
Si nil perpetuum, si vicibus sequi
Hæc sic Fata volunt noctis vt humidæ
Succedit tenebris dies?

Ad Bernardinum Mafæum, Cardinalem.

MAFÆE, *summi maxima Principis,*
Et vaticanæ gloria Curiæ,
Quo Roma se iactans alumno

Præteritis

Præteritis decus æquat auis,
Paullum seueræ grandia purpuræ, &
Sancti Senatus munia differens,
Concede securus quietis
Tempora liberiora Musis.
Musæ, supremi deliciæ patris,
Grato Tonantem carmine leniunt,
Seu victor immanem sonanti
Condidit Enceladum sub Ætna,
Calúmue flammis eripuit, grauis
Vnde imminebat Cælicolis metus,
Turbante disiectos parentis
Attonito Phaëtonte currus.
Vtcunque magno, cum Ioue sis minor,
Curæ leuamen Pieris afferat,
Aulaq́ue defessum labore
Pierio recreet sub antro
Tunc hora nostris commoda lusibus
Non indecoro lætus in otio
Cum rure te oblectas amœno
Vrbe procul strepituq́ue vulgi.
Negotiosi te vsque palatij
Vrgente cura, publica Principis,
Vrbisq́ue terrarum potentis
Commoda præripuisse nolim.

Ad Franciscum Haluinum, & Franciscum Balsanum, sodales.

E R G O *relictis heu mihi sodalibus,*
Sodalium integerrimi,
Dulciq́ue nobis gratiores lumine,
Vitaq́ue dilecti magis,
Postquam iocoso expleuerit vos otio
Prima vrbium Neapolis
Non per virentes fertilis Campaniæ

Colles ad vrbem Romuli
Redire stat sententia, hic vberrimo
Vt perfruamur gaudio,
Festisq́ laeti transigamus poculis
Dicata Baccho tempora,
Deserta sed per aestuosae Apuliae
Ac foeda caedibus loca,
Durumq́ & inquietum agrestium genus,
Nec aduenis fidum satis,
Queis hospitali nil timentes ab Ioue
Manus cruentas inferunt,
Periculosam metiemini viam
Furentis vsque ad Hadriae
Infame litus, atra visuri freta,
Et proximo ad mortem gradu
Vitam carinis credituri putribus,
Et fluctuum libidini,
Nec proprio, sed impotentis Africi
Circumferendi arbitrio.
At ô Deorum quotquot horridi truces
Frenatis impetus maris,
Quorumq́ sancta quando fulgent sidera
Vndae minaces concidunt,
Arcete ventos innocentium rate,
Quos non cupido peruicax
Pellacis auri, insigniúmue huc compulit
Vesanus ardor mercium,
Sed alma virtus ardua gaudens via
Rerum per vsum crescere.

Ad Basilium Zanchum.

Z ANCHE, *qui dulci modularis ore*
Carmen, & paucis veterum secundus
Mentis ingentes aperis recessus
Diuite lingua,

Caelitum

Cælitum narrans choreas, & alma
Virginis partum, & bona multa partus,
Vnde fœlicis sophiæ sacratos
Conseris hortos,
Quas pia grates referam Camena,
Quod peregrino genitus sub orbe
Romuli latam veniens Remiq́;
Visere gentem,
Serus hic tanto didici magistro,
Dum rudem formas placidus iuuentam,
Qua via possem Aonidum beatos
Scandere colles?
Nam bona natum segeti ferendæ,
Nec satis cultum miseratus aruum,
Sarculo vepres loliumq́; nostri
Gnarus agelli
Eximens, multo meliora reddis,
Virgili siluas & amœna prata
Sedulus monstrans, & amicta nigris
Frondibus antra;
Antra facundis celebrata Musis
Cum quod extentum maneat per æuum
Italo doctum meditantur ore
Dicere carmen.
At mihi si quid superet quod vltra
Torqueat fato Lachesis benigno,
Nec suo versus renuat poëtæ
Phœbus Apollo,
Quàm iuuet terris duce te relictis
Mente transferri ad Superos sagaci,
Imparem dicet, tamen approbabit
Serior ætas.

Ad Galeatium Florimontium, Episcopum Suessanum.

ET *recta nosti, & moribus exprimis,*
Nec lingua menti discrepat, ac pia
Par vita doctrinæ, tuisq;
Exequeris studiis honestum,
Teq; inde nulla demoueant minæ,
Non dona regum, non metus hostium,
Non mille si tormenta tauro
Sicanij addiderint tyranni.
Cui namque rebus carior omnibus
Est alma virtus, opprobrium fugit.
Non Nestoris *tot sæcla læsi*
Accipiat pretium pudoris.
O te beatum tam bene qui sapis
Suessane, ô ingens Pontificum decus.
Ducente qui te cunque quæret
Haud dubiam inueniet salutem.
Quando esset ætas apta laboribus
Quis temperandis vnquam operosior
In rebus? At transacta postquam
Tempora te repetunt quieti,
Non aula, non iam Roma tenet, sacræ
Aut vota tardant improba purpuræ,
Non parua quem gessisse honores,
Maxima sed meruisse laus est,
Vtcunque vulgi sensus abhorreat,
Quod raro honestum cernit ab vtili.
Sed rara te vulgo remouit,
Et docuit meliora virtus.
Ergo beato viuis in otio
Quà læta pulchris Suessa iacet iugis,
Quam corpore imbecillus, acrem
Tam retinens animi vigorem.

Sed

Sed transeuntem cetera te tamen
Hoc vrget vnum, vt, doctior in dies,
Et sanctior, quæ recta nosti
Ritè tuos doceas colonos
Pastor quieti sollicitus gregis,
Cui tuta curis omnia sunt tuis,
Dum suggeris præcepta Diuûm
Ambrosio meliora succo.

Ad Octauium Panagathum in mortem Cardinalis Saluiati.

FELIX *Deorum vita doloribus*
Soluta veris perfruitur bonis.
Nam cuncta detergens amara
Assiduè rigat ora nectar.
At nos, caduci quos generant patres,
Contagionem degeneris luti
Sentimus insignes & imi,
Nec vitium medicamur auro.
Venti procellis æquora concient,
Crebrisq́; cogunt nubila flatibus,
Nos cordis affectus iniqui
Perpetuo quatiunt tumultu.
Amata dudum spernimus improbi,
Exosa votis mox sequimur leues.
Nil lene pacatumq́; nobis,
Dum stimulis agitat cupido
Aut colligendæ praua pecuniæ,
Aut comparandæ turbida gloriæ,
Rerumq́; quas ne consequamur
Fata vetant dominæq́; Parcæ.
Pertusa ludit Belidas vrnula,
Sperata fallunt Sisiphon otia
Frustra, quòd aduerso laboret

Monte fugax retinere saxum.
Nil Inferorum differimus malis
Cum spe tenentes quod miseros iuuet
Frustramur, vt si nacta portum
Cymba graui pereat procella.
Quid ergo? Recti consilij tenax
Feret. quod (eheu) tollere sit nefas,
Legémque qua sortimur æuum
Non animo patietur ægro.
Quem munit alma vis sapientiæ
Beatus in se possidet omnia,
Ac vana fortunæ minacis
Spicula, & assiduos rotatus,
Tormenta vulgi, negligit, illius
Securus extra quod positum videt.
Fortuna, Fatum, Parca iussis
Alterius famulantur æquis.
Hic summus ille ille arbiter est Deus.
Deum vereri cura sit vnica.
Securior quo quisque viuit,
Hoc melior propriórque cælo est.
Hæc differentem te memini Pater.
Quin tute præstas quod reliquos mones?
Confectus atroci dolore
Funeris immeritaq; mortis
Qua Saluiatum perdidimus, vice
Sanè dolenda, sed ratio vetat
In corde prudentis ferendos
Vix satis in populo tumultus.
Compesce luctum. Quid sapientia
Malis mederi nescia proderit?
Satis supérque (heu) damni in vno
Cepimus, vt gemines caueto.

De Cæsaris ad Oenipotentem recessu ad Hippolytum Capilupum.

O Mores hominum! ô fœda licentia!
O cælum, mare, terram, ô Superûm fidem!
Audax nuncia falsi,
Et vulgi stupor aurium,
Tu quod fama refert credideris nefas?
Flagrantem rapido fulmine Iuppiter
Imis sedibus orbem
Suprema quatiet die,
Nec grandes pluuiæ, nec fluidus liquor
Quicquam cæruleum Nerea iuuerint
Vt vastissima regna
Atris seruet ab ignibus,
Victum cum dabitur cernere Cæsarem,
Infamémque fuga & viribus imparem
Pugnæ cedere palmam
Victis iam semel hostibus.
Terram Cæsar habet, Iuppiter ardui
Ius cæli. Ille homines, hic superos Deos
Certo fœdere regni
Sceptro pavè regunt pari.
Iuncta Cælicolæ si veniant manu,
Vnum omnes solio non moueant Iouem,
Ipse vnus simul omnes
Nigra in Tartara merserit.
Et quis magnanimi Cæsaris æmulos
Quis sanus metuat? Mole potens sua,
Vt saxa ardua ventos,
Vanas despiciet minas.
Nec vinci potis, aut opprobrium pati,
Dextris qui toties auspicijs feros
Debellauerit hostes,

Nullo

Nullo vnquam titubans metu.
Testis bis domita laurus ab Africa,
Actúsque ancipiti Turca ferox fuga.
Testes vincula regum
Collo iniecta minantium,
Et mœsta horrifera funera Galliæ,
Cum Ticine fremens gurgite lurido,
Multa & cæde redundans
Spumantem inficeres Padum.
Quid victis referam gentibus additos,
Captiuo horribili Principe, Saxonas,
Immanésque Sicambros
Humana citius fide?
Hæc fecisse parum est, Oceanus iugum
Passus mancipio dat mare puppibus
Inuictus quibus orbem
Cæsar repperit alterum,
Et te Bacche pater maior, & Hercule
Victrices aquilas ad populos tulit
Quorum nulla parentum
Aetas nomina nouerat.
Ergo quid domiti iam semel auspice
Gallo, sed domito sæpius, audeant
Contra Cæsaris arma
Germani duce perfido?
Paulum præcipiti cedet ab impetu,
Consultáque furorem imminuet mora.
Mox proruperit ipse,
Maturáque potentia
Innitens, proprio audacior alite,
Cuius regna vagos in volucrum greges,
Horrendóque leone,
Magno quadrupedum duce,
Quocunque arma feret proruet omnia.
Victori meritam vertice nobili

Nectet gloria laurum,
Æternum accumulans decus.
Clades certa sibi vis sapientiæ
Expers. Consilio fortis eget manus,
Martem spreuit vt ingens
Tydides ope Palladis.
Vis consulta tibi, & lenta nocentibus
Cæsar bella moues; at similis Deo
Tardam strennuus iram
Pensas supplicio graui.

Ad Andream Masium.

FACVNDE *Masi, magnus ipse maximo*
Comes futurus Principi,
Vrbis beatæ dulce mutans otium
Laboriosis Alpibus,
Et horridæ tumultibus Germaniæ
Tranquilla nobis tempora,
Ibis per alta montium cacumina,
Inuisa Gratijs loca,
(Nix æstuosæ feruidum vbi caniculæ
Inuicta spernit impetum,
Durántque nebulæ, inutilisque & omnium
Ignara tellus fructuum
Cimmeria penè regna, & ignauæ Stygis
Torpente præcedit situ)
Visurus acri Cæsar vt pugnax manu
Hostem fatiget impium,
Ruátque victor, vi potitus vrbibus
Ipso tremendis nomine.
Quid Pallas, & nouena Musarum cohors,
Quid Phœbus interim parat?
Quotquot bicipitis alta Parnassi iuga
Festis sonora cantibus,

Fontesq;

Fontésque colitis, & beata pascua
Quæ nullus attingit dolor,
Venite Di, Deæque, ô piissima
Vatum piorum Numina,
Venite sacræ præsides scientiæ,
Et magna mundi lumina,
Dignoq́; digni adeste custodes viro,
Et sospitem reducite.
Adeste, nec turbauerit vos arduæ
Longæq́; discrimen viæ.
Non indecorum præmium feret labor
Docto valente Masio.
Non alter illo vestri amantior gregis,
Non alter obseruantior,
Nec vllus vnquam tot politus artibus
Ad rem iuuandam publicam.
Æquum precamur, quod sit orbi commodum,
Magnæq́; vobis gloriæ.
Seruate cuius vita prodest omnibus,
Mors profutura est nemini.

Cæsaris in Morinis victoria.

EIA *repostum prome puer merum*
Fuliginosa strennuus amphora,
Bacchúmque dissecta solutum
Compede per solidos deunces
Appone mensis. Festum agimus diem.
Nunc est bibendum, nunc noua tibijs
Cantanda lasciuis amantum
Carmina sunt iuuenum choreis.
Antè inquieto sollicitos metu
Nefas latentem prodere Liberum,
Perterritum hostili tumultu,
Et rabido ah nimium furore.
Non æstuanti sic scopulos freto

Tondunt procellæ mobilis Hadriæ
Vtcunque contempto feruntur
Imperio sine lege venti,
Vt Gallus acri proruit impetu
Flammásque, cædésque, & rabiem parans,
Dum sperat infandam sacrati
Cæsaris imperij ruinam
Feruens iuuenta, atque auxiliarium
Ferox minaci robore militum,
Quòd dira Germani iuuarent
Arma truces, agilesq; Turcæ.
Sed innocentem perdere Cæsarem,
Quem Dij tuentur, quæ poterat manus?
Ergo ipse victricem fideli
Consilio moderante dextram
Hostem insolentes dedocuit minas,
Repente versis funditus vrbibus
Extrema quâ Tethys sonantes
Voluit aquas, Moriniq; sæua
Virtute magnos vix veriti Deos,
Altisq; fisi mœnibus horrida
Nunc morte mulctati quiescunt,
In cineres abeunte fastu.
Superba moles turribus arduis,
Ac digna credi Cælicolûm labor,
Turbabat ingenti stupore
Lumináque attonitásque mentes.
Sed Dis timendas anguipedum manus
Spretura, & ipsum cum tonitru Iouem,
Vi Cæsaris deiecta aratrum
Insolitis patietur aruis.
Sic nempe Galli parturiunt sibi
Nobis minati quæ fuerant mala.
Nos grandia inuicti tropæa
Cæsaris ab Morinis canamus.

Ad conuiuas amicos.

NOLIM *purpureis fercula regibus,*
Et ponenda sacro Pontificum gregi
Expectetis amici
Parua pauperis in domo.
Non hic nobilibus conditus amphoris
Languescit senio Bacchus, & abditos
Sub fuligine multa
Annorum titulos tegit,
Nec saeuum it fragili per mare cymbula
Promus Sicanij gurgitis intima
Lustrans, aduena piscis
Largas vt decoret dapes.
Mensis haec sapiens linquet Ionicis,
Et quas perdita luxu Sybaris struit,
Vita obnoxia ventri
Fœda seruit vbi gulae,
Et frugi esse nefas, noxáque non leuis
Turpi dissimilem viuere belluae.
Nos, quod regula recti,
Et constans ratio docet,
Ponemus modicis hunc epulis modum,
Nil natura negatum vt doleat sibi,
Et conuiuia vitae,
Non illis ea seruiat.
Neu desint animo deliciae suae,
Accedet dapibus dulcior omnibus
Doctae gratia linguae
Condita ingenuis iocis.

In febrim Octauij Panagathi.

INVISA *febris, horrida luridi*
Satelles Orci, quam gelidus rigor,
Quam pallor infelix, suique

Nescia mens sequitur, furórque,
Tune ausa tantum (prò pudor!) es nefas,
Vt te ministra criminis impij
Sauire fatales senectæ
Ante diem properent sorores,
Damnentq́; tristi Panagathum nece,
Quo nemo vitam sanctius egerit?
O quanta venturo malorum
Agmina conglomerentur æuo,
Quàm fœda mundum nox tenebris premat
Si fata nobis abstulerint virum
Quo Pallas extincto videri
Nolit, & ambrosium leporem
Mæstis Apollo vatibus auferat,
Nec Liber acres concitet impetus,
Nil Gratiæ, nil Cypris vlli
Conferat, Aonidésque Musæ
Pendere inerti muta silentio, &
Sordere turpi plectra sinant situ,
Vt fertur Orpheus cum proterua
Bistonidum perijsset ira!
At ô Deorum rector ab arduo
Tonans Olympo; solus & omnia
Pro mentis æterno gubernans
Arbitrio stabilíque nutu,
Eritne duris tanta licentia
Concessa fatis? Prò miserum genus
Mortale, si dum cura inani
Quisque suas meditamur artes
Nil à scelesto discrepat integri
Spectata claris vita laboribus,
Quin morte rumpatur sub ipso
Principio, medioúe cursu!
Terram prementes pondere inutili
(Iactura parua est) serius, ocius

Tollantur,

Tollantur, immanique viles
Inferiæ obijciantur Orco.
Magni æstimanda est Panagathi salus,
Quo gaudet omnis Roma superstite,
Fletura defuncto, nec vllis
Temporibus paritura talem.

Σωτήρια in eundem.

RERVM *potiri quis dubitet Deum?*
En seruat æqua quos voluit manu,
Perditque, diuinam potenti
Iustitia moderante dextram.
Vtcunque certi dura necessitas
Fati supremo cesserit arbitro,
Qui signa, qui dispersa latè
Sidera, multiplicesque cæli
Rotantis orbes, & Superûm domos,
Atque efficacis cornua Cynthiæ,
Phœbique perlucentis axes
Temperat omnipotente dextra.
Iam penè acerbi viderat Aeaci
Furuum tribunal, toruaq; luridos
Per colla torquentem colubros
Cerberon, horribilésque hiatus
Voracis Orci, at munere Cælitum
Euasit omnem Panagathus metum,
Repente condonatus auris
Aetherijs, dubiæque vitæ.
En viuit. Et quis debita cui magis
Sit vita quàm qui commodus omnibus?
Accepta cælo es Roma, postquam
Erubuit spoliare tanto
Te Parca thesauro. En etiam Deo
Decedit vltrò, ac prodiga plurimos

Ducenda promittit per annos
Stamina de meliore lana.
Nec anteacti per volucres dies
Accedet aui summa sequentibus.
Natalis ille est quo reuixit,
Inde recens numeretur ætas.
At vos virentis quos edera iuuat
Sperare doctis præmia frontibus,
Gaudete communi recepto
Dulcibus in studijs parente,
Et lecta templis ducite munera
Festum colentes carminibus diem,
Qui illi salutaris, meaque
Carior est mihi iure vita.

In mortem Marcelli II. Pont. Max.

AETATEM *ah miserè nimis*
Inuisam Superis viuimus improbi.
Hinc multa in steriles boni
Iustis supplicijs agglomerant mala.
Anne vllo potuit magis
Deprendi indicio gentibus imminens
Læsi maxima numinis
Ira? Ipse è proprio quem dederat sinu
Terris Pontificem Deus,
Sub quo iustitia, & relligio nouis
Effulgeret honoribus,
Necdum penè datum protinus abstulit,
Quo prodesse queat docens,
Verum hoc non meritis quas meriti sumus
Pœnas obijciens graues.
Venti cæruleo cum resonant mari,
Et noctem horribilem ferunt,
Dum fidens animi rector, & impigra


Ad

Ad clauum residet manu,
Spes nautis superest. Scilicet vnius
Commune arte periculum
Vinci posse putant. Nos miseri quibus
Quantisque oppositi malis
Iactemur, scelerum fluctibus obruti,
Immanique licentia
Non fas, non hominem, non veriti Deum,
Plus ah plus nimio est palam.
Venturis sedenim cladibus obuiam
Marcellus properans sua
Tutari poterat nos opera & fide,
Sic curam populi gerens
Vt nutrix teneri blanda puelluli,
Quem molli fouet in sinu,
Sed spem solliciti votáque Principis
Funesto properans pede
Momento citius flebilis abstulit
Mors. Nos auxilio sine
Perpessi varijs vltima casibus,
Haud longa exitij mora,
Quassatam pelago vix trahimus ratem.
Nostræ nil superest opis.
Arte omni grauius quod patimur malum
De cælo auxilium petit.
Sed nos, viperei pessima sanguinis
Ætas, immemores Dei
Dum sæuis agimus deterius feris,
Per nostrum obstruimus scelus
Ne sint auxilio Dis superis viam.
Non diuina benignitas,
Sed rectè vt faciat quisque deest sibi.

LÆVI-

LÆVINI TORRENTII ODARVM AD AMICOS LIBER ALTER.

Ad Iohannem Lupum de securitate vitæ.



Rgo (prò superûm fidem)
Venturi nimium temporis anxius,
Fortunæq; volubilis
Incerto metuens æger ab exitu
Præter quàm iuuenem decet,
Carpar perpetua sollicitudine?
Quid tristes querimoniæ,
Quid duri gemitus, longáque conferent
Vitæ tædia languidæ,
Flecti si nequeunt fata, nec arduis
Cedunt victa laboribus
Quos versat studio vulgus inutili?
Viuam viuam hodie vt lubet.
Cras dextro mihi Fors Hercule commodum,
Aut damnum ferat alite
Aduersa. Patiar si quid erit mali,
At non ante diem miser
Ignauo trepidans perdiderim metu
Præsens hora quod obtulit.
Scyllæi scopulos & rabiem freti,
Infamémque licentiam
Immitis Boreæ, & mobilis Africi
Falsò crimine naufragus
Olim Trinacrijs fluctibus obrutæ
Accusat dominus ratis,
Exemplo timidi cautus Vlyssei
Ni ventos liget improbos,
Naturámque suis subdere nutibus,
Et cælum, & Superos queat.

Quare

Quare si cupidum te neque frigidus
Pars obiecta Aquilonibus,
Nec regna assiduis torrida Solibus
Pellaci amoueant lucro,
Eia vt rem facias da pelago ratem,
Nec sit remigio quies.
Paulum est quod placidum Nerea sentias.
At sospes rediens domum
Votum solue libens. Sin minus, improbo
Cur monstro caput obijcis?
Ætatem haud alio transigimus modo.
Sis quocunque voles loco,
Sis quocunque gradu, plena periculis
Ingens omnia sunt mare.
Quod Fortuna potens instabili regit
Nutu, quáque proteruia est,
Alternatq; vices, & celeri pede
Hinc illinc aliò quatit
Pennas ancipiti mobilior Noto,
Nec constantior Hadria.
Sic visum superis. Præsidium & salus
In sola patientia est.
Quam præstare memor quando opus est, nocens
Nulli, commodus omnibus,
Ac cultum retinens Numinis, in diem
Viuam. Cras sibi vindicat
Communis genitor, cura nec huic minor
Ipsi quam mihi sit mei est.
Huic Fortuna subest, quæ mihi, quæ tibi
Dura & difficilis manet.
Tu verò volucrem plus nimio rotam,
Et fatum metuens graue,
Extis, auguriisque. & dare somniis
Fallacem poteris fidem,
Improuisa tamen cum veniet dies

Sors qua quemque vocat sua,
Toruo saeua trahet fune necessitas
Te inuitum, ipse sequar libens,
Aduersis patiens, strennuus in bonis,
Ne quid depereat mihi.
Quod vixi & valui nec Deus auferet.

Ad Nicolaum Briardum.

BRIARDE, *magni magna patris gloria,*
Virtute quem sic exprimis,
Vt indolis & industriae testem suae
Vterque laudet alterum,
Amate nobis quantum amari conuenit
Illustre virtutum decus,
Vnde hoc iniqua sorte procedit nefas,
Vt cuncta quo iuuant magis,
Hoc citius intercepta gaudium breue
Dolore commutent graui,
Comésque luctus, sic volentibus Deis,
Fugitiua corrumpat bona?
Quid enim anteacti temporis dulcissima
Nunc proderunt consortia,
Quid tam venusto & candido liberrime
Sermone transacti dies,
Vnúmque velle & nolle, qualis inuicem
Vel turturum concordia est,
Viuacis aut in comparem cornicula
Et multus & praestans amor,
Si quo fuisti gratior praesens mihi,
Hoc grauius absentem fero?
Vadis per alta me sine Alpium iuga
Gelúque, & aestiuas niues.
Quid ipse, qui vel Pyladis antiquam fidem
Mea anteponi non sinam,

Cur te relinquo, quodq́; inauditum est prius,
Cur umbra corpus desero,
Dumq́; undecumque mille fers incommoda
Ignauo abutor otio?
Non hoc Briarde Dis amicum, nec mihi.
Sed dura quod necessitas
Iubet feramus. Corporum diuortia
Distrahere mentem non queunt.
Mens Occidentis ultimo usque ab litore
Eoa prospectat freta,
Nec clausa mundo Cælitum reserat domos,
Et rebus interest Iouis.
Quare niuosa siue montium iuga,
Seu vasta superas æquora,
Consors ubique ac particeps molestiæ
Te mente quouis prosequar.
At tu vicissim mente, non memor viæ,
Te ad nostra confer otia.
Collata utrimque sorte gauisi bonis,
Malis dolebimus minus.

Ad Laurentium Gambaram.

NEC *Lyden noui, nec Bacchanalia vixi,*
Attamen his iuuit ludere versiculis.
Tu quoque iam fractus senio, labentibus annis,
Non facis ad tales Gambara delicias.
Cur ergo ista tuo lusi sub nomine? Fingi,
Non esse ut moneam turpi in amore bonum.
Quem vitare volens studijs excultus honestis,
Nil præter solum curet amare Deum.

Baccha-

Bacchanalia.

POSCIT *quod celebris dies,*
Fecunda innocui Gambara Lesbij,
Formosiq́; Cupidinis,
Et iucunda Deæ munera Cypriæ,
Nudis non sine Gratijs,
Ætatis memores ah nimium breuis
Dulces inter amiculos
Carpamus bona, ne temporis & loci
Nos occasio deserat.
Dant non immodici pocula Liberi,
Vitam Sobria dat Venus,
Nec quauis alia commodius via
Aegri triste periculum
Auertas animi quàm grauibus tuis
Si quandoque solutior
Curis stultitiam miscueris breuem.
Eia, quisquis es, ocius
Signatos veteri verte cados nota,
Et totam refer amphoram,
Quæ me sollicito liberet ab metu,
Quæ spe diuite compleat
Venas, insolitumq́; accumulet decus,
Et plenum vbere spiritu
Lasciuis habilem reddat amoribus.
Eia da calicem puer,
Spumantem vetulo da calicem mero.
Eia da simul alterum.
Quid stas? Non satis hic, ingere tertium.
Ohe, ter tribus impari
Libandum cyathis est Charitum choro,
His namque auspiciis decet
Mensæ principium ponere. Candidis

Mox

Mox vt iuncta sororibus
Molli Gratia lusu & leuibus iocis
Festas condierit dapes,
Multo rite mero, nil numerum, neque
Mensuram veriti parem,
Numen Bacche tuum, teq́ decens Venus
Certatim celebrabimus
Omnes attonito non sine gaudio.
Nec te præteritam velim
Lyde, Lyde animæ pars potior meæ,
O ipsis quoque Gratijs
Par forma simul & moribus aureis.
Per te bella gerens Venus
Captiuos animos ducit amantium
Sæuo quò libitum est ioco.
Sed cur hæc ego cur vincula fugerim?
Nam si te facilem dabis,
Tormentis animum lenibus occupans,
Viuam sub dominæ iugo,
Grata seruitij sorte beatior
Quàm si regibus imperem.
Tu sola es sine qua viuere sit graue.
Pro te vel moriar, tua
Nostra si redimi morte queat salus.
Magnis vror ab ignibus,
Vri me patiar sic tamen, & nouas
Flammas vsque feram libens,
Pigro ne sine te frigore congelem.

Ad eundem.
Lyde, siue Adolescentia, in Odas
octo distributa.

I.

SI c *mater gemino iuncta Cupidine*
Gratam te cupidis reddat amantibus,

Nec formoſior vlla
Expugnet iuuenum toros,
Lyde Luciferi ſidere pulchrior,
O ſolatiolum dulce dolentibus
Lyde, ſpes mea Lyde,
Accerſita precor veni,
Expectata veni. Non patior moram.
Formæ plus nimio ſollicita es tuæ.
Nil quo creſcere poſſit.
Etſi incompta, tamen veni.
Incocto radians vellere purpura
Vt lanam, pariter nobilem adulterat
Vultum. Non ego veſtem,
Sed veſtis dominam volo.
Adſint blanditiæ, & grata proteruitas,
Argutíſque referti ſalibus ioci.
Spirent lumen ocelli
Quod me ſurripiat mihi.
Nam deſiderio torqueor anxio,
Nec finem ratio, nec reperit modum.
Tu ſuccurrere Lyde
Tanto ſola potes malo.
Tu fixum retines dura Cupidinis
Clauo, tu Veneris nexibus implicas.
Ius vitaq́ue necisq́ue
Vnam te penes eſt mea.
Viuam ſi facilem te dederis mihi,
Perdes difficilis. Prò Veneris decus
Si me perdis amantem,
Meſſi damna feres tuæ.
Vltrix immodici fertur amantium
Faſtus alma Venus. Tu Venerem colis.
Quam pulcherrima Lyde,
Si me deſpicias, caue.
Stultus qui Veneris commemorem minas.

Igne-

Ignosce ab stolida Numen ineptiæ.
In me pœna redundet
Lyden si ferias Dea,
Qua sola incolumi nil vereor graue.
At si turgidulis lacrymulam dolens
Flendo extorsit ocellis,
Tunc curis morior miser.

II.

Firment augurium Juppiter & Venus,
Et quodcunque fauet Numen amantibus.
Venturam omnia Lyden
Certa signa canunt fide,
Et laurus, fragili dum crepitat sono,
Et motæ tremulo lumine palpebræ,
Et præsaga futuram
Mens ob lætitiam micans.
Sum felix, (Neget hoc inuidia vt lubet)
Felix, & Superis gratus, vbi ad preces
Præsto est spes mea Lyde,
Et Lydæ comes it Venus.
Salue magna parens. Te placidam precor,
Qualis puniceæ cum redeunt rosæ
Cælo laberis alto
Vt lætam sobolem pares.
Tunc cantu volucres aëra personant,
Exultant pecudes, stat pelago quies,
Dum natura parentis
Aduentum celebrat suæ.
Tu mundo reuocas cuncta, nec interit
Quidquam, cum pereant omnia, dum genus
Vnumquodque perennas,
Et rerum seriem foues.
Munus quod proprium Numinis est tui

Posco, fac maneat fœdus amantibus,
Et mi fructus amoris.
Vt sit perpetuus faue.
Sic canos capiti, sic animo graues
Abstergam penitus sollicitudines,
Nec fomenta iuuentæ
Deerunt lætus vbi est amor.

III.

Sed quò mens abit? Ah totus inhorrui,
Vt Gallus Phrygiæ flamine tibiæ.
Nostro Numen amori
Certè Numen obest graue.
Inconstans Venus est, & Veneris puer.
Ludunt me vigilem somnia, dum spei
Plenum fallit imago
Facti quod fieri velim.
At nec iam lacrymis, aut precibus locus.
Irata est Dea. Nil me miserum, aut mea
Curat carmina Lyde,
Sæuas quæ moueant feras.
Crudelis, adeóne excrucias tuos?
Nos vanam augurijs elicimus fidem,
Lasciuum illa tepenti
Riualem fouet in sinu.
Quem spernens alios quæret adulteros,
Et mox hinc alios, inde iterum nouos,
Nulli fida, sed æquè
Vnò omnes spolians modo.
Fallax blanditijs, ambrosia tegit
Virus vipereo sanguine tetrius.
Raro hoc piscis ab hamo
Prærosa fugiet dape.
Me peccasse pudet. Fas iuuenem tamen

Sit peccaſſe ſemel, ſim modò cautior,
Bis tentata Charybdis
Merſam ne rapiat ratem.

IIII.

Tu verò huc vetulam fer puer amphoram,
Et vinum cyathis funde capacibus.
Vino pellere curas,
Lydénque ex animo iuuat.
O dulcis liquor, ô nectaris aurei
Succus, rore ſacro viſcera permeans,
Quanto ſuauior vndis
Humanum recreas genus!
Aſt ætas miſeri dura Promethei
Plauſtris impoſitas circumagens domos,
Nigriſq́ abdita ſiluis,
Nec multo melior feris,
Agreſtes paribus cum cyathis dapes
Ornabat patula ſtrata ſub arbore, &
Farctam glandibus aluum
Crudo flumine proluens,
Donec frondiferis Euïus in iugis,
Et campis habitans fertilibus Ceres,
Vitem repperit ille,
Hæc fruges docuit bonas.
Tunc vndæ periit fama Acheloïæ,
Nec priſcam tenuere arbuta gloriam.
Meſſem Iuppiter ipſe
Dodonæ antehabuit nouam.
Tunc vitis varijs culta laboribus,
Atque ingens ſegetum cura, nec amplius
Has impune capellæ,
Aut fœdi attigerint ſues.
Non illæ pecudum deliciæ manent

Morſus, prò ſcelus, at nos melioribus
Aequum abſumere labris
Frugeſq́; & pecudes ſimul.
Salue Bacche pater Nyſigena, Euie,
Salue. fas mihi te dicere, ſed nefas
Siccis dicere labris
Fontem lætitiæ Deum.
Fecundos igitur da calices puer,
Bacchum vt ritè canam. Largior affluet
Promptæ copia linguæ
Quo plus ebiberim meri.

V.

At lauros edat, & pallidulus labra
Aſcrais alius fontibus irriget.
Nymphas non ego damno,
Sed Baccho capior magis.
Nec factis aliud dicere, nec velim
Frontem compoſitò fingere. Quin procul
Abſit gloria vulgi,
Ipſi dum ſapiam mihi.
Nam quò nobilium gloria fontium,
Muſcoſiq́ue lacus, & vaga flumina
Quotquot Græcia magnis
Cælo laudibus extulit?
Delectant oculos iſta quidem meos,
Atque aures placito murmure perſonant,
Sed quò carmina ſeris
Pangam digna nepotibus,
Huc optem latices Bacche pater tuos.
Tu venas aperis mollibus æſtuans
Per præcordia flammis,
Nec torpere ſinis gelu.
Tunc nec pauperie diſcrucior graui,

Nec vanis populi ducor honoribus,
Non me purpura regum,
Non belli strepitus mouent.
Quis thyrsum mihi det? O vbi Thyiades,
Silenusq́, senex, & Satyri leues?
Clara voce Cytharon
Plenis intonat auribus.
Te Lenæe sequor seu libet Ismaron
Lustrare, & gelida frigora Thraciæ,
Seu quâ decolor Indus
Eois calet ignibus.
Te Nysa aërys aspicit in iugis
Vinctum pampineis tempora frondibus
Curru iungere tigres
Assueto dociles iugo.
Nil mortale iuuat. Tu quoque perfide
Mater quem peperit perfidior, vale.
Non me sæue Cupido
Flammis conficies nouis,
Nec quæ castra semel iure perhorrui
Desertor repetam. Tu modò tu puer
Mitis dona Lyæi
Vt non deficiant caue.

VI.

Sed iam sideribus cincta nitentibus
It cæli medio Cynthia vertice,
Et sopita quiescunt
Alto cuncta silentio,
Nec me peruigilem sic epulæ iuuant,
Et Bacchi liquor, vt non animum occupet
Inter vina recurrens
Bacchi blanda soror Venus.
Extremus superest nunc igitur labor,

Vt, primum mediæ noctis, & alterum
Somni pocula libans,
Totum conficiam cadum.
Somnus cum placidæ noctis adest quies
Defessum varijs antè laboribus
Clausis mulcet ocellis,
Nec curis aperit viam.
Somnum non modici pocula Lesbij
Adducent. Procul hinc tunc procul improbum
Pellam potus amorem,
Quem siccus vereor magis.
Siccus ne peream, fer cyathos puer.
Siccis multa Deus proposuit mala,
Quorum obliuia mentem
Et somno, & subeunt mero.
Lethe non aliam Manibus admouet
Vim tracti fragili per Styga cum rate
Ad Plutonia regna
Compulso properant gradu.
Ipsi nos faciles lusimus hactenus
Versus, iam titubans hæsitat ac labat
Vdo lingua palato,
Et vox immoritur labris.

VII.

Sed quænam tenebris cincta silentibus
Illudunt animo somnia turbido?
Furuis somnia pennis
Quæ circumuolitant caput?
Hanc noctem placidi munere Liberi
Sperabam positis ducere sensibus,
Qualem rite sepultis
Adfert perpetuus sopor.
Sperabam, (quid enim spes sibi credula

Non fingit ?) quoties sed ferus ah meas
Spes delusit inanes
Gaudens insidiis Amor ?
Hesterna teneris luce sub ossibus
Torrebat miseris flamma iecur modis,
Quam restinguere Lyde
Tunc nulla voluit prece.
Securo at penitus compositum toro,
Inflatúmque mero, nec memorem mali
Ah fallax quibus ille
Aggressus puer artibus?
Qui postquam imparibus vincula amantibus
Iniecit, grauiter discruciat ferox,
Et nec rore cicadæ,
Nec nostris satur hic malis.
Stabat marmoreas vincta papillulas
Inuitans me oculis ipsa loquacibus.
Nec iam somnia visa,
Sed Lyden manibus tenens,
Et multo quatiens pectus anhelitu,
Lætabar, volucri cum citius Noto
Fugit vana voluptas,
Mansit perpetuus dolor.
Nam si nec tenebris vlla datur quies,
Cum mutas pecudes, cum rabidas feras,
Obscœnásque volucres
Grata somnus obit vice,
Quid tentem miser? Ah nec Tityon (reor)
Exercet grauius supplicium, ferus
Rostro vultur adunco
Immortale secans iecur.
At forsan magicis soluere cantibus,
Aut herbis poterit saga latentibus.
Sed Medea neque istis
Spem figi sinit artibus.

Quæ cum nil dominæ profuerint ſuæ,
Quis nunc me miſerum quis manet exitus?
Heu mors ſola leuabit,
Aut certè melior Deus.
At fractos vtinam ſæue puer tuos
Arcus,& validis tela ſine ictibus,
Téque immane dolentem
Extincta videam face.

VIII.

Sed cur immeritum ſtulte Cupidinem
Damnas? Nec puer hic,nec pueri nocet
Mater. Deſine falſò
Culpam obtendere nomine,
Et quod iam periit tu tibi perditum
Ducens nequitiæ pone modum tuæ.
Nunquam incommoda deerunt
Si nunquam abſtineas malo.
Iam luſum ſatis eſt,iam grauioribus
Exercens animum nauiter artibus
Curſum flecte,malámque
Freno frange licentiam.
Turpi qui nimium deditus otio
Inſanis miſer indulget amoribus,
Nec ſe colligit vnquam
Menti præſidium parans,
Is tanquam fragiles ſi calamos ſuæ
Meſſis ſuppoſitis vreret ignibus
Diro concitus œſtro,
Ipſe eſt pernicies ſibi.
Fidi nunc igitur conſilii tenax
Obdura. Nec erit difficilis labor.
Multo ſæuior ille
Quem nunc perpeteris volens,
Qui te diſcruciat,te premit anxium.

Confide, & Superos auxilio voca.
Votis annuet aquis,
Nec te destituet Deus.
Est mitis placidúsque, est pius & bonus,
Nec quos condiderit non etiam fouet.
Quin amplectitur vltro,
Et molli gerit in sinu.
Peccanti grauis, haud vlterius tamen
Quam peccata manent. Dat veniæ locum
Cum peccasse fatemur,
Cum facti pudet & piget.
Nec tristes lacrymas, nec gemitum fuge.
Felix qui vitium corrigit. Est dolor
Quem sincera voluptas
Fausto subsequitur pede.

Ad Iohannem Berotium, Iurisconsultum.

LECTOR *meorum candide versuum*
Te omnes Beroti per Superos rogo,
Per regna Musarum, per omnem
Aoniæ resonantis aulam,
Phœbíque lauros, atque ederæ tenax
Germen virentis, ne nimio procax
Amore delinquas, meas qui
Sis aliquid ratus esse nugas.
Nec fonte sacro proluimus labra,
Nec efficaci in gramine duximus
Somnos, vbi Parnassus ingens
Nubifero petit astra dorso.
Viuant beati larga quibus dedit
Natura partam sponte scientiam,
Prodisse quos credas stupendos
Matris ab vberibus poëtas.
Nobis pusilli riuulus ingeni

Aren-

Arente serpit languidus alueo,
Nec ore sublimi superbas
Spiritus eiaculatur auras.
Antiquioris, sed sapientiæ
Laudator æquus, seu numeris potens
It Flaccus attentas per aures,
Pindaricaúe ruunt Camenæ,
Vt flaua pratis mella legunt apes,
Quodcunque visum est sedulus aufero,
Meósque id auertentem ad vsus
Instruit alterius supellex.
Hos æmulari quis, precor, abnuat?
Quare relictis tu quoque riuulis
Accede quà fontes benigni
Vberibus spatiantur vndis,
Nec nostra miti carmina postules,
Sperans futurum me duce peruium
Pronumque callem quo disertus
Pierios penetres in hortos.
Ætas & ipsis ingenijs nocet,
Priora mutans deterioribus.
Vtcunque collucteres, priscis
Inferior tamen vsque cedes.

Ad Deos Poëtarum præsides.

EIA *sonoram fer puer huc lyram,*
Lyraq; acutas adijce tibias.
Fer vina, funde vnguenta nardi
Deliciis locuplete cornu.
Adsint amœnis lilia cum rosis.
Serpat nitentes læta edera in comas,
Laurumq;, pallentemq; myrtum
Compositæ impediant coronæ.
Vestras Camenæ carminibus nouis

Vulga-

Vulgare laudes fert animus. Neque
Te Phœbe, te virgo ſilebo
Multiplici memoranda ab arte,
Seu bella tractes horrida, & impium
Ferox in hoſtem iuſtitiam iuues,
Seu bella componas, & vrbes
Moribus inſtituas honeſtis.
Canámque Bacchum, & te quoque Gratia
Quæ caſta caſtis iuncta ſororibus
Iociſque, ludiſq́; & choreis
Perpetuam recreas iuuentam.
Quotquot beatas incolitis domos
Parnaſſus altum findit vbi æthera
Saluete Di, Diuæq́; terræ
Præſidium, colum enq́; cæli.
Veſtris adauctum nuper honoribus
Non eſſe veſtri ſit memorem nefas.
Iuuiſtis omnes, vna rite
Omnibus hic ſtatuetur ara.
Cædens opimas ſæpe vbi victimas,
Placánſque Numen, non ſine gaudio
Feſtis coronatus diebus
Pierios modulabor hymnos.
Per vos honeſto perfruor otio,
Cui non arenas prætulerim Tagi,
Non quidquid immanis voraci
Voluitur Oceani ſub vnda.
Per vos quieto pectore turbidos
Vulgi tumultus nil moror improbi,
Soliſq́; ſecretus ſub antris
Naïadas Satyróſque canto.
Nec eruditis diſplicet auribus
Non inuenuſto carmine barbitos,
Quæcunque diffundat per auras
Verba meo modulata plectro.

Callidus effugeret catenas.
Sed qualis ales magnanimus Iouis
Ferox dolosam fertur in aspidem,
Nil fraude praestantis veneni
Mortiferum remorante rostrum,
Talem sonora te referam lyra
Philippe te te maxime Principum
Fregisse Gallorum proterua
Cornua cum sine clade victor
Fudisti apertis strennuus in iugis
Immensa paruis agmina copijs.
Quos Roma lauris anteponat
Scipiadûm referens triumphos.
En vt superbo ducitur ordine
Captiua magnorum procerum cohors!
Io triumphe acclamat omne
Vulgus, io, ter io triumphe.
Gaudéntque Diui, queîs pietas tua
Fidésque cordi est, praelia fortiter
Pugnata, & hostili solutas
Perfidiae scelerique poenas.
Nulla ergo vi, nulla arte domabiles
Subuertis vrbes auxiliantibus
Dis flamma maturas vt errans
Per segetes agitata vento.
Eia. Secunda exorsus es alite.
Spes certa. Magnum nescio quid parat
Natura. Tu dignum memento
Principio imposuisse finem.

Pace inter Philippum Hispaniae, & Henricum Galliae Reges inita.

P A x *laeta terris, laeta redit quies.*
Gaudete Musae, (Vester adest honos)
Gaudete, desuetiq; cantus,

Et nu-

Et numeri, & redeant choreæ.
Tuq; alma Pallas, peruigil vrbium
Custos, repertis nobilis artibus,
Quæ conciderunt pacis artes
Mitis & ingenij, repone.
Quamuis vel ipso Marte ferocior
Hastámque, scutúmque, & galeam quatis,
Sed Martis insano tumultu,
Consilio tua fertur ira.
Semper cruentis ille furens minis
Cædes atroces & rabiem parat,
Tu bella ad optatum reducis
Iustitiæ sociata finem.
Sic perfidum olim aduersus adulterum
Fauore vicit pars melior tuo,
Vtcunque tutabantur hostem
Blanda Venus Venerísque mœchus.
Et nuper æquis fœdera legibus
Percussa nutu si fuerint tuo,
Aeterna sint da virgo summi
Consilium patris & potestas.
Tandemq; vitis Bacche sator sacræ,
Cereśq;, Nymphæq;, & Satyri leues
Reconditis prodite siluis,
Linquite queîs latuistis antra,
Aprica læti visite pascua,
Vt vestra tellus numina sentiat,
Et summa dehinc frugum nouarum
Copia fertilitate mira
Commendet agros heu nimium diu
Vasto inquinatos turpiter otio,
Dum ruris instrumenta sæuos
In gladios clypeósque belli
Vertebat vsus, dirus vt inclitas

Vastaret vrbes miles, & impios
Per damna, per cædes iniquo
Conficeret domino triumphos.
Nam quid malorum non patimur breuis
Molles adornet laureola vt comas,
Et vulgus insanum stupescens
In titulis hiet ac tropæis?
Tanti innocentem fundere sanguinem,
Cognata ferro rumpere pectora,
Et mutua, quam bruta seruant,
Soluere amicitiæ tenorem.
At ô sacrati Calliope chori
Regina multum huic dissimilem meo,
Rosáq; consertámque myrto,
Necte (precor) capiti coronam.
Qua cinctus inter vina sodalium,
Nulli molestus, commodus omnibus,
Possim aureæ cantare pacis
Multa bona, & mala multa belli.

Ad Pium quartum, Pontif. Max., qui ante pontificatum Iohan. Angelus Medices appellatus fuit.

QVALEM *profundo vulnere saucius,*
Supremus vrget lumina cum sopor,
Vitamq; festinantem ad vmbras
Vix tenuis remoratur aura,
Periculoso sentit opem malo,
Expertus artis si medicus nouæ
Herede iam bustum parante
Reddat eum patriæ & propinquis,
Tali labantem præsidio pater
Tutaris vrbem ô Pontificum decus,
Viresque, consuetumq; sancti

Imperij reuocas vigorem.

Non Thessalis tu, tu neque Ibericis
Vsus venenis, non ope Barbara,
Qua Colchis optanti recoctum
Restituit Socerum marito.

Sed prompta virtus, curáque diligens,
Deóque plenum pectus, & integros
Laudare, castigare prauos,
Præmiáque & meritos honores,

Pœnásque iusta lance rependere
Prudentis ars est Principis & boni.
In publicis hæc sola morbis
Est panacea, nigrúmque moly.

Hac arte præstans impiger Hercules,
Quòd pestilentis fœda licentiæ
Exempla, quòd lernam malorum
Sustulit illuuiémque tetram,

Proles supremi creditus est Iouis,
Magnum ipse Numen scilicet & potens,
Vindéxque, seruatórque nostræ,
Tutor & assiduus salutis.

Vtcunque credant hoc veteres, tibi
Dat plena veri munera Numinis
Collata de cælo potestas,
Quam meritis facis ampliorem,

Custos valentem sollicitus gregem
Pascens salubri gramine, non lupos,
Atros nec horrentem colubros,
Non hiemes, rapidósue Soles.

Hinc Roma blando te videt & colit
Iam læta vultu, iam posuit minas,
Tutósque per campos quieta
It placidus Tiberinus vnda.

Macte ergo virtute optime Principum,
Incumbe tantis laudibus, & nouos

Nun-

Nunquam fatigatus memento
Iungere præteritis honores.

Ad Robertum Nobilem, Cardinalem.

FORMOSA *laurus quæ Triuiæ manu*
Educta Cyntho prominet arduo,
Aut lenis Eurotæ beatá
Laude Deorum hominúmque ripa
Dilecta docto surgit Apollini,
Dilecta musis, & Dryadum choro,
Magniq́; tutela Tonantis
Eximios paritura honores,
Stat prorsus omni intacta periculo
In spem bonorum votáque Principum,
Qui gesta diffundant in æuum
Perpetuis memoranda fastis.
Lauro iuuentus est similis tua
Roberte, Diuûm cura, & amabili
Virtute sic præstans, vt omnis
Te colat ac veneretur ætas.
Gaudet senectus te iuuenem suis
Præferre canis. Inuidia sine
Mirantur æquales, & optat
Vir similes sibi quisque natos.
Morum venustas, eloquij vigor,
Doctrina per se maxima, quæ tamen
Tu plurimum illustras, adeptus
Omnia tam teneris ab annis,
Largis Deorum muneribus potens.
Sed iunctus acri est iudicio labor.
Fert vberem cultura messem
Fertile cum renouatur aruum.
Nunc magnus ergo creueris indies
Magis magisque. Insigne aliquid parat

Natura, tam raris euntem
Principijs vt ad astra tollat.

Ad Gabrielem Faërnum Cremonensem, vetustis auctoribus corrigendis nobilem.

GRATI *vetustas officij memor*
Cælo locatum credidit Herculem,
Quòd monstra fatali labore
Sustulit indomitáque dextra.
Res magna sanè, dignáque Numine
Tanto, & supremi progenie Iouis,
Vel colla succrescentis Hydræ
Ignibus & secuisse ferro,
Fœdis vel altos stercoribus boum
Purgasse aceruos diuitis Augiæ,
Auriq; fecundis ab hortis
Hesperidum rapuisse mala.
Tuus Faërne illustrior est labor,
Notisq; mundo gratior artibus,
Haud viribus constans, sed acri
Ingenio, vigiliq; cura.
Queis fretus armis, auspicio bono
Iuratus hostis Barbariem domas
Non antè sic victam Latinæ
Dedecore opprobrioque linguæ.
Hærebat altè visceribus malum,
Suaque fixum mole medentibus
Ferebat horrorem, sub ipso
Crudius asperiusque ferro.
Tu peruicaci cedere nescius,
Hostilibusque audentior ab minis
Virtute vicisti probrosam
Illuuiem cariemq; tetram,
Solers nitori reddere pristino
Libros vetustos nobilium virûm
Quicunque præluxere nobis

Ingenio

Ingenio, & locuplete lingua,
Vt morte pressum si referant caput,
Reddantq; dignam vindice gratiam,
Maiore te censeri honore
Arbitrio patiantur aequo.
Tu namque & illis concilias decus
Quaeque ipse scribis non placeant minus
Faërne Musarum sub antris
Docte modos sociare chordis.

Ad Ioannem Moronum, Cardinalem, sacri Cardinalium Senatus principem.

QValis purpureo vere rubens rosa
Cum Sol Oceano surgit amabilem
Latè spargit odorem,
Ac culti decus hortuli
Inuitat teneras Naïadum manus
Plenis cum calathis, aureolo & sinu
Ornamenta Deorum
Templis, aut epulis parant,
Talis tu medio concilio Patrum
Fulges eximijs clarus honoribus
O virtute coruscans,
Sacrae gloria purpurae.
Quam partam meritis non tibi, sed geris
Illis quos studio, quósque opibus iuuas,
Diuûm more, merendo,
Aeternum meditans decus.
Hinc ingens veterum turba clientium,
Nec vero superans officiis nouos,
Quorum vota benignus
Laetum ducis ad exitum,
Vt vitae varijs fluctibus obruti
Sic te suspiciant Tindaridûm velut

Fessi sidera nautæ
Quos duri exagitant Noti.
Sed portus miseris sis licet omnibus,
Primum fida tamen dat statio ijs locum
Quorum nomen honestis
Commendatur ab artibus.
Quos inter Lyricis te numeris libens
Laudarem modicus Melpomenes cliens,
Sed nec Melpomene ipsa
Ad laudes satis est tuas,
Et virtus, operum quæ bene feceris
Merces ipsa sibi, nec populi leues
Curat turgida plausus,
Nec falsum opprobrium timet.
Quin quanto grauius comprimitur, suis
Stans immota bonis pulchrior emicat,
Vt Sol aureus atra
Pulsa nube ferens diem.
Quod Morone tuo cernitur omnibus
Exemplo, domita qui inuidia graui,
Fortunaq; , repulsis
Clares insidiis magis,
Nunc vno minor. At forte quid interim
Si mutare parent Numina, tu sacræ
Tu spes altera Romæ
Vt summum teneas gradum.

Ad Fortunam, allecto in Senatum Gulielmo Sirleto, Cardinale, viro optimo & doctissimo.

FOrtuna, multis credita Cælitum
Augere cætus, nec sapientiæ
Obnoxia humanæ, nec vlli
Imperio Iouis, aut Deorum,

Discede

Discede cælo non tibi debito,
Discede templis, nec loca pollue
Sacrata Diuis qui merendo
Perpetuos adiere honores
Infida, fallax, ancipiti vice,
Vbiq; turbans omnia, nec magis
Constans quàm inæquales procellæ
Hadriacis agitata ab Austris.
Sed te tuumq; ô instablis globum,
Rotaq; gyros vsque volubiles
Miretur obseruetq; vani
Simplicitas miseranda vulgi,
Vulgo remotus vir sapiens tuas
Irridet artes. Cetera negligit,
Agitq; se contenta virtus
Perpetuum sine te triumphum.
Sic ille magnis notus ab artibus
Sirletus, alti diues & ingeni,
Virtutis explorans amussi
Omnia, per solidos honores
Propinquat astris. Inuideas licet
Fortuna tantæ perfida gloriæ,
Liuore sed nil profuturo,
Nobilior nisi vt ille toto
Clarescat orbe, at tu pereas malè,
Tuumq; numen, nomen inutile;
Vtcunque tam certo probatur
Indicio superasse virtus.
Quanto minaci sæuior es manu,
Tanto retundens fortius impetum,
Contra renascentes chelydros
Herculeo celebris duello.
Vrge ergo inertes, desin e fortium
Tentare vires, quos Deus adiuuat,
Quosque inter insigni Gulelmum

Laude meis celebrare chartis
Aequum & decorum est. Cernite cernite
Crescentem, vt aequet pro meritis decus,
Victaq; fortuna superbum
Erigat eximius tropaeum

In Iohannis Goropij Becani Originum libros

BEcane, nostris Atuaticos docens
Regnasse terris, flumine nobili
Qua Scaldis obluctatur ingens
Oceani violenter vndis,
Quàque illa iactis molibus arduis
Anuersa litus promouet, vrbium
Regina quas Fors, & beato
Mercurius locupletat auro,
Non quo priores historiam ferè
Finxere pacto tu quoque somnias
Portenta, quae narrante matre
Attoniti stupeant alumni,
Nec sola nosti Pergama Achaicis
Vastata flammis, quo referunt genus
Vulgata qui tantum sequuntur,
Nec propriam meruere laudem;
Priscas sed artes doctus, & ingeni
Praediues, alma Palladis in sinu
Nutritus Ascraeis sub antris,
Threïcio meditata vati,
Et sacra Mosi tradita dum pius
Seruas ab alto tanquam Helicen mari,
Das vela ventis, & secundo
Peruolitas vada salsa cursu.
Nec vasta Syrtis, nec breuia hic tibi,
Aut monstra firmae quae metuas rati,

Quam

Quam Castorum tutela fulgens
Omnibus eripiet periclis.
Visenda tellus quam vacuis sibi
Delegit oris ille hominum parens
Cum numinis placasset iram,
Fœdaq; diluuies apertis
Cessisset agris. liber enim metu
Formosa quamuis arboribus iuga,
Quâ Caucasus consurgit ingens,
Et scopuli minitantur astris,
Dilecta dudum, & parta quibus salus,
Mutare quærens mitibus aspera,
Reliquit, & subiecta cernens
Flumina, triticeósque campos,
His sedit aruis, hæc coluit loca.
Hinc Bactra coctis inclita frugibus,
Margúsque, Iaxartésque, & ille
Vndisono ferus Oxus amne,
Quem tauriformis nomine consecres
Vallemq; Parnisi ad Superos feras,
Nyssámque, felicémque Merum
Nectareo celebres liquore.
Occurret illic vitisator senex,
Quem rite multis indigetes modis,
Tot nominum splendore clarum
Quot variæ meruere laudes.
Is te madentem muneribus suis,
Vinctumq; sacro tempora pampino
Admittet vmbrosis in antris
Cum Satyris leuibúsque Nymphis
Arcana rerum discere, nec bene
Digesta prisci tempora sæculi.
Quæ conditor narrabit ipse,
Ipse suos referet nepotes
Latè per orbem nomen in vltimas

Sparsisse terras, Ianigenas tamen
Virtute praestantes auita
Praecipuo recolent honore.
Quos inter Argiuûm inuidia graui
Caeco latentes Cimmerios specu
(Sic iussus) educes Auerno
Ad superas animosus auras.
Tu sacra genti, tu solitum decus,
Et iura reddes, nec sine Numine
Ritusq́, laudatósque mores,
Et veteres reuocabis artes.
Quid regna dicam condita dum pijs
Nituntur armis Barbariam vt doment.
Et Marte freti, & Martis acrem
Harmonia moderante bilem?
Confide. Quò non viuida te ferat
Virtus? Sequentur Cimmmerij ducem
Quacunque praecedes, maláque
Haud iterum metuent tenebras.
Iam Dacus asper, iam rigidus Geta,
Iam paret audax Sarmata Quid Sacae?
Quid Saxones? Iam nota Thule
Nouerit & genus, & parentes.
Ipsa illa tantis inclita laudibus
Accedet vltrò Graecia, originem
Spartaeq́ Athenarumq́, iam nunc
Ad Scythicas referens pruinas.
Sed heus paterni te reuocant Lares,
Ortique Cymbris Atuatici. Ratem
Huc flecte. Quantumuis superbo
Materiae satis est triumpho.

In Gre-

In Gregorium XIII. Pont. Opt. Max.

Quid me Melpomene iubes
Desuetam manibus prendere barbiton,
Ac tristi senio grauem
Cantandis operam ludere versibus?
Cur me sollicitum tenes?
Non idem Genius, non eadem manet
Ætas, nec leuis est senex
Si tentet iuuenem quod deceat nota.
Vrges propositum tamen,
Et quanquam emeritus non teneor nouis
Desudare laboribus,
Vis vt militiam sponte sequar tuam.
Agnosco dominam lubens,
Agnosco auspicia, & te veneror ducem,
Nec iam fert reprimi procax
Abrumpens tacitum lingua silentium.
Sed quem pracipua canam
Dignum laude virum? Qui vice Numinis
Qua terra patet ambitus
Cælestes animas corporibus datas
Cælesti imperio regens,
Vt quisque est meritus pramia dat bonis,
Ponit supplicium malis,
Hos damnans Erebo, hos Elysio beans.
Quid sublimius hoc gradu?
Supremi solio quis propior Dei
Quam cui ipse Deus
Vt munus peragat quod proprium Deo?
O diuina benignitas!
O quantis animi perfruimur bonis
Qui Christo dedimus fidem!

Nam

Nam quanquam variis (res hominum vt ferunt)
Simus criminibus rei,
Quos peccasse pudet, quos bene pænitet,
Si mystas adeant sacros;
Si fassi ingenuè quidquid erat mali
Submissè veniam petant,
Nec Sancti renuant arbitrio viri
Quin pœna faciant satis,
Quo mens cunque modo lubrica concidat,
Non lapsus facilis magis
Quam pax, & placidi gratia Numinis.
O pronum ad Superos iter!
Quod prauis (vti fit) moribus obstruens,
Si tangat mea me salus,
Conuersis studijs mox referem mihi.
Nec quisquam dubitet velim,
Cum non dissimiles esse videt sui
Qui noxa caput eximunt.
Vult Christus sit homo namq; homini Deus.
Qui Petrum sibi deligens
Sacrati imperij quem faceret ducem,
Hoc illi decus obtulit,
Hoc seris etiam ex ordine posteris,
Et quotquot placitis sibi
Mandarent eadem munera posteri.
Hæc hæc illa potentia est,
Quæ quondam geminis tradita clauibus
Qua cœlum petitur via
Occludit geminos atq; aperit polos.
At tu maxime Gregori,
Qui Romæ pater, & tot pater vrbium
Nunc Petri solio sedes,
Nec tantum titulo fronte tenus Petrum,
Sed cura & studio refers,
Intentos oculos atque animum gerens

Quò

Quò te cunque necessitas,
Et ius, & ratio atque officium vocant,
(Quæ vis est sapientiæ)
Sortem nosce tuam. Non gladiis opus,
Non aut curribus, aut equis,
Aut fidis tumidum per mare nauibus.
Vna est Religio, tuis
Quæ nitens humeris vt venerabilem
Te magnis quoque regibus
Reddit, sic etiam viribus instruit.
Hinc omnis tibi copia,
Hinc res, hinc honor, augustáque dignitas,
Quam flexo veriti genu
Sacratis pedibus figimus oscula.
Hanc supplex igitur cole,
Cui debes alij quod tibi supplices
In te spem statuunt suam.
Hanc quaqua potis es strenuus exere,
Nullus restet vt angulus
Quò Christi rigidæ non penetrent Cruces.
Sic ardens pietas iubet.
Cœpisti bene. Sed nil satis est viro
Forti, grata nec impigro
Si quid summæ operis defuerit quies.
Nec summam tamen. hic tibi
Promitte ante obitum. quem repares enim
Mundum nactus es, en, nouum,
Lustratúmque aliis sideribus globum.
Sanctas huc pius inferes
Leges, hic populos moribus imbues,
Ac falsos abigens deos
Romana institues indigenis sacra.
Euge ô Pontificum decus.
Cœpere auspiciis hæc fieri bonis.
Ipsi, en, munera deferunt

Iapponum proceres, longáque concitis
Emensi æquora puppibus
Voluunt se genibus sancte pater tuis.
Tu læto recipis sinu,
Atque hæc digna piis palma laboribus.
Pro qua sollicito, vt decet,
Mox cælo dabitur pulchrior altera.

In Carolum Borromæum, S.R.E. Cardinalem, Archiepiscopum Mediolanensem.

QVI *claros celebret viros,*
Nec laudes canat, ô Pontificum decus,
Et certa insubriæ salus,
Borromæe tuas, non aliter facit
Quam qui nox vbi inhorruit
Cæli respiciens pallida sidera
Lunam negligat auream,
Aut Soli faculas præferat igneas.
Cur ergo te etiam mea
Laudatis aliis præteriit lyra?
Laudo laudo equidem lubens,
Nec parcus nimium, (crede) nec inuidus,
Quos possum, at similes tui
Si qui sint animum qui subeant meum,
Mirari soleo magis.
Tu, quem non agitat laus neque gloria,
Seu vox faucibus hæreat,
Seu prauo titubans deficiat sono,
Miranti veniam dabis.
Mirantem reficit dulce silentium,
Dum tanquam attonitus stupens
Virtutis speciem suspicit arduæ.
Pulchro scilicet indidit
Vim natura potens vt sit amabile,
Ac mentis penetrans sinum

Extra

Extra se positos alliciat sibi.
At nil pulchrius inclita
Virtute à Superis est homini datum.
Quam cum moribus exprimas,
Incessúque graui atque habitu probes,
Cum fronte atque oculis geras,
Ac viua, vt speculo, ipsius imaginem
Toto corpore praeferas,
Hinc ardens amor ille, hinc studium tui,
Vt quacunque feras pedem,
Sacra ceu videat plebs pia fercula
Pompae, te venerans simul
Et flexo capite & poplitibus colat.
O priscis quoque saeculis
Æquandam eximiae vim reuerentiae!
Te non turba satellitum
Commendat populo, non comitum frequens
Seu praeit dominum cohors,
Seu longo sequitur cominus agmine.
Virtus maxima maximis
Sola est quae celebrem reddit honoribus.
Tu vero te humilem, vt facis,
Demissumq́; geras. Cum premitur, statim
Multo illustrior eminet,
Vt Sol cum nebulis exeruit caput.
Et quid non pateat tui
Fulgoris radiis? Non ego imagines,
Aut priscum referam genus,
Nec dicam geminos gratus auunculos.
Quorum hic militiae caput,
Regum bella gerens, victor & hostium,
Faustum rettulit exitum.
Hic verò à teneris deditus vnguibus
Sacris officiis puer,
Perfunctus variis inde laboribus,

Supre-

Supremum obtinuit gradum,
Sacratíque potens imperij nouum
Fastis inseruit decus
Cum sanctæ tribuit ius tibi purpuræ.
Magna hæc lumina, quæ pias
Quærenti tenebras iniiciant manum,
Sed quæ Fors sibi vindicans
Fert his, fert aliis; sæpe etiam malis.
At quæ munera sunt Dei,
Prudens simplicitas, nudáque veritas,
Constans religio & fides,
Mens inuicta manens, raráque castitas,
Et semper vigilans labor,
Elucent magis, atque aspicientium
Ne fallas oculos vetant.
Quas Christus comites cum tibi iunxerit,
Vt nil Ambrosio minor
Tot fretam populis Insubriam regas,
Ac Romana ferens sacra
Diuinis animos legibus instruas,
Quò cælo teneant viam,
Cur non te venerer, mirer, amem, colam?
Vt quo carior es Deo,
Hoc per te citius promerear Deum.

Ad Iohannem Franciscum Bonhomium, Episcopum Vercellensem, Caroli Borromæi, Card^lis. Archiepiscopi Mediolanensis, & Gregorij XIII. Pont. Max. funera lugentem.

L V G E S *iam nimium diu*
Francisce, & lacrymas fundis inutiles,
Quæ nec proficiant tibi,
Functísque, vt redeant, multo etiam minus.
An credis placitum Deo

Vt lon-

Vt longa celebres funera nania?
Vitam cui voluit dedit,
Vitam cui dederit cum volet auferet.
Res nostra his agitur modis.
Mortales sumus, et nomine dicimur,
Quem Sol cunque reuexerit
Vt summũ fieri posse putes diem.
Quo nos siue necessitas
Cogit, seu ratio, seu vocat arbiter
Rerum maximus omnium,
Mortem cur aliis, cur metuam mihi?
Mors nullum obijciet malum
Si quam transierim vita fuit bona.
Tu quos compositos doles
Cum semper fuerint moribus optimis,
Virtutis studio pares,
Ambo pontifices; hic Latij caput,
Hic omnem Insubriam regens,
Atque hic Ambrosiũ, nec minus hic Petrum
In corde atque oculis ferens,
Absistant lacrymæ. Iuuit eos mori,
Iuuit plurima perpeti,
Postquam non alia est ad Superos via.
Quin si tristitia modum
Non pones sapiens, plangere mortuos
Vno quem satis est die,
Ne tantum Superis inuideas decus,
Neue ipsis Superos vide.
Vtrumuis facias; non bene conuenit
Quem campis in Olympicis
Exercet pugilem conspicuus labor,
Non pugnam ancipitem timet,
Non castus, lateri ac temporibus graues.
Spes & laudis amor vetant
Obiectis reprimi fortem animum malis.

Cui quisquis fauet assidens,
Constanti, intrepido, cedere nescio,
Quamuis aspiciat lubens
Intentos oculos, horrida brachia,
Consertas manibus manus,
Exoptat tamen, & mente Deos rogat
Non longa nimium mora
Victori meritam cedere gloriam.
Sic qui conspicimus pios
Luctantes Stygijs cum Furiis viros
Lætemur volo perfidis
Quod sese obijciant fortiter hostibus.
Sed quos haud patimur mori,
Vt summam egregio, quod bene cœperint,
Imponant operi manum,
His intercipimus debita præmia.
At quanto melioribus
Qui cælo potitur perfruitur bonis
Quam qui vicerit Isthmia,
Sed victus vitijs ipse perit suis?
Non illic apium viret,
Pallentésq; oleæ, canáq; populus,
Non pinus Cybelæ sacra,
Aut myrtus Veneri, laurus Apollini,
Non palmæ nitor ardua,
Herbarúmq; aliæ, & copia frondium,
Ornandis habiles comis,
Quas vanis celebrat Græcia laudibus,
Cum sit putidius nihil;
Sed concors amor & gratia Cælitum,
Sed pax certa, sed otium,
Et secura quies, almáq; faustitas.
Longe absunt labor, & dolor,
Et spes, et metus, & turbida gaudia.
Non tristes querimoniæ,

Non intemperies ætheris ignei,
Dites sollicitans heros
Ne frugi, aut pecori, neu male sit sibi,
Non vis ac dolus hostium,
Non turbant alia, aut impediunt mala.
Nam quid deesse potest quibus
Adiunctis sibi iam sit Deus omnia?
Qui caliginis horridæ
Obseptos tenebris nunc oculos fugit,
Sed quos post obitum sacris
Lætos intulerit Cælicolûm choris,
His se totum aperit volens,
Et rerum species detegit aureas,
Quas magno fouet in sinu,
Et coram memori pascit imagine.
Hæc est vera beatitas,
Hæc vera & solida vis sapientiæ,
Nil nescire quod aut fuit,
Aut est, aut fuerit deniq; postea.
Cuncta vno intuitu patent,
Et cunctis fruitur qui fruitur Deo.
Sunt ergo & violæ, & rosæ,
Sunt gemmæ & lapides, pictaq; marmora.
Est auri, est eboris decor,
Quo muri duplices, & plateæ nitent.
Portæ stant adamantinæ,
At valuæ viridi ornantur iaspide.
Hi festos celebrant choros,
Hi voce & cithara carmina temperant,
Pars curua recinunt lyra.
Tum lætis resonant atria plausibus.
Ad quæ tu quoq; gaudia
Pleno cum properes quã potis es gradu,
Tritamq; inuenias viam,
Quam fecere pij & Carolus & cito

Post hunc Gregorius pede,
Euge, insiste lubens, nec lacrymæ moram
Innectant. Veniet dies
Quo desiderij finis erit tui,
Et quod nunc bene feceris,
(Nam quò perpetuæ sollicitudines,
Si nulli probitas bono est?)
Tantæ dignum operæ tunc pretium feres.
Quin si me comitem velis,
Impar sum meritis, ponè sequor tamen.

Ad societatem sanctissimi nominis Iesu.

O Grata cælo sancta sodalitas,
Rex regum Iesus nomine quam suo
Illustrat exornatq́ue, toto
Ut celebris memoreris orbe,
Non orbe dico quem veteres aui
Norant minorem dimidio, male
Truncatum, & angustis coactum
Limitibus, nec adhuc retectum,
Quod vstus illic Solibus, hic niue,
Negaret aptas hospitibus domos,
Nec torridam fas esset vlli
(Sic perhibent) superare Zonam,
Sed orbe toto prorsus & integro,
Quem belluoso dum volitant mari
Vtroque porrectum sub axe
Magnanimi reperere Iberi.
Quorum secuti turgida lintea,
Pura sed omni mente cupidine,
Pulchro nec argento, nec auro,
Nec nitidis inhiante gemmis,
Armis vt illi sceptra potentium
Fregere regum, fluminaq́ue, & lacus,
Portusq́ue, vicinásq́ue gentes
Indomito subiere ferro,

Sic vos inermes, impauidi tamen,
Casta inferentes indigenis sacra
Hac impios cultus, & omnem
Barbariem pepulistis arte.
Qui namq; vera luce carentibus
Fas esse notum, vel potuit nefas?
Turpi volutabantur antro
Cimmeriys mediy tenebris,
Clausis retentæ ceu caueis feræ,
Edenda si qua ad munera publica
Seruantur, vt damnata fulua
Corpora dilacerent arena.
Quo deprehensos tam misero in statu,
Vt mente bruta non minus impia
Committerent quam sæuus olim
Antiphates, genus aut Cyclopum,
Sanastis, at non cantibus Orphei,
Linique, nec qui mœnia condidit
Thebana, facundiq; voce
Mercuriy, fidibusq; Phœbi,
Fida sed almæ vi Sapientiæ.
Quæ missa ab alto vicit vt hactenus,
Sic vincet æternoq; tandem
Omnia subyciet parenti.
Qui vos ministros quod sibi legerit
Res gesta clamat, clamat & exitus
Spe maior, adductis opimo
Tam cito tot populis triumpho.
Quos, ante necdum nomine cognitos,
Portare Christi nunc dociles iugum
Miramur, ingenti remixta
Lætitia simul & stupore,
Sed quid volenti non facile est Deo,
Deiq; Verbo, virgineo satum
Quod ventre prognatumq; nostri

 Credi-

Credimus ad generis salutem?
Hic ille Iesus progenies patri
Æquaua, cælo quod fuerat manens.
Humana sed de matre sumpsit
Membra, viam reserans Olympo.
Hic ille, cuius nomen amabile
Vt vestra complet pectora, sic sacro
Prorumpit exundans ab ore,
Assidua coliturq́; laude.
Nec parua laudi gratia. nam pijs
Aspirat orsis omnipotens Deus,
Firmatq́; quas res cunq́; nati
Auspicio geritis secundo.
Nec de receptis gloria Barbaris
Est maior illa quam domiti dabunt
Caluiq́;, Luteriq́;, & omnis
Colluuies simul impiorum.
Fremant superbi, nec teneant minas,
Bellumq́; cædesq́;, & rabiem parent,
Causamq́; quam ius damnat æquum,
Vi vetitis tueantur armis,
Vos ista prudens simplicitas, bene
Morata, sese nec leuis efferens,
Defendet insontes. At ipse
Se rabidus male perdet hostis.
Qui quo cruentus sæuierit magis,
Plus inde damni comperiet, videns
Vicisse quos victos putarat,
Et cineri superesse vires.

Ad Iohannem Richardottum.

INSOMNEM *nuper cum me nox atra teneret*
Versantem vacuo languida membra toro,
Quæ licet inuitis scripsi solatia Musis
Farnesi mæstus funere magnanimi,

Richar-

Richardotte tui paruum cape munus amici,
Vt minuas luctum mæstus & ipse tuum.

Epitaphium Alexandri Farnesij Parmæ & Placentia Ducis, ac prouinciæ Belgicæ gubernatoris.


SISTE *gradum, propius quicunque accesseris hospes,*
Quæq; velim paucis accipe versiculis.
Hoc tegitur tumulo, fama licet impleat orbem,
Et cinis est, belli qui modo fulmen erat,
Fortis Alexander Farnesius ille, Quiritum
Progenies, priscos æquiparans atauos,
(Quo tu Parma potens, quo pulcra Placentia tanto
Principe conspicuum fertis in astra caput)
Nec minus Austriadum materna stirpe coruscans,
Maximus: vnde illum Carolus ornat auus,
Carolus ingentes nactus tot ab hoste triumphos,
Tam bonus imperio quam pietate potens.
Quas, aliásque inter laudes non vltima, quòd te
Heredem genuit diue Philippe suum.
Pro quo bella gerens Farnesius acer in armis
Restituit valida Belgica regna manu,
Restituit tibi te Lutetia certa ruina,
Optatam subitò cum tulit vltor opem.
Nec tantùm hæc vni victoria profuit vrbi,
Parta fuit regno qua tibi parta salus.
Profuit & Christo, cuius tot ouilia latè
Errabant sæuis obuia præda lupis.
Ipse suos relegens numeros septísque reponens
Muniuitq; bonos, impediítque malos.
Talibus incumbens, iam fractus membra labore,
Nuper & accepto vulnere debilior,
Occidit immaturus adhuc florentibus annis.
Sed nullam seruant inuida fata diem.
Nec moritur moriens cui fama & vita supersunt
Æterna, emeritæ præmia militiæ.

Nil igitur lacrymis opus, aut singultibus vllis.
Turpe quid in magnis nania funeribus.
Vos mihi Francorum proceres, quorum vnica cura
Est Deus, & regni religiosus amor,
Hunc celebrate ducem, vita quem prodiga virtus
Hostiles toties frangere fecit opes.
Palma hæc in medio est. De qua decerpere ramum
Qui velit, hunc alia non licet ire via
Quam decus hic nostrum Farnesius iuerit vsque
Dum fœlix campos attigit Elysios.
Guisiadæ fratres vbi eum fulgente corona
Donatum medio composuere thoro,
Guisiadæ, regum soboles, quos antè Tyranni
Obruit infando vis fera flagitio,
Nunc læti iungunt dextras, & gaudia miscent.
Ille miser Stygiis crimina purgat aquis,
Vosq; monet similem patria depellere pestem
In commune piis omnibus auxilium.
Hæc Hospes tibi dicta tenens decede volenti
Scire eadem, & cineri dic bona verba. Vale.

Carmen numerale.

OCCIDIT AH, BELLO QVO NON VIR FORTIOR ALTER,
DVX PARMÆ. CINERES HÆC BREVIS VRNA TEGIT.

FINIS.






IHS